

Det här verket har digitaliserats vid Göteborgs universitetsbibliotek.  
Alla tryckta texter är OCR-tolkade till maskinläsbar text. Det betyder att du kan söka och kopiera texten från dokumentet. Vissa äldre dokument med dåligt tryck kan vara svåra att OCR-tolka korrekt vilket medför att den OCR-tolkade texten kan innehålla fel och därför bör man visuellt jämföra med verkets bilder för att avgöra vad som är riktigt.

This work has been digitised at Gothenburg University Library.  
All printed texts have been OCR-processed and converted to machine readable text.  
This means that you can search and copy text from the document. Some early printed books are hard to OCR-process correctly and the text may contain errors, so one should always visually compare it with the images to determine what is correct.





JOHANNIS MESSENI  
**S C O N D I A**  
**ILLUSTRATA,**

*Sen*  
CHRONOLOGIA DE REBUS SUECIÆ

Potissimum;

Deindè Regnorum etiam adjacentium,

in quantum illius conducit cognitioni;

*Tam Ecclesiasticis quàm Politicis,*

ab anno MCDXLVIII. usque MDXX. CHRISTI

gestis.

T O M U S I V .



STOCKHOLMIÆ,

Typis OLAVI ENÆI, ANNO CHRISTI M. DCC.



SERENISSIMO ET POTENTISSIMO  
MONARCHÆ,  
D. GUSTAVO ADOLPHO,  
Sueciæ, Gothiæ, ac Vandalia Regi, Magno  
Finlandiæ Principi, Duci Esthoniæ, Careliæque,  
& Domino Ingermanniæ;

Heroi ac Hero mihi submissè observando,  
quamlibet exopto prosperitatem.



*M*isera profectò est omnis servitus,  
REX Clementissime, sed ea tamen potissimum, que  
hominibus generosi pectoris, & in libertate natis, sub  
Principum contingit dominio crudelium; avarorum,  
fidem subditis non servantium, & pacta transgredientium conventa.  
Itaque cum generosa, & animosa Sueonum Natio, sub Regum imperio  
Danicorum, velut sub gravissimo tyrannorum jugo, annis fuisset sexa-  
ginta, & non minus intereà detrimenti sustinuisset, quam in Egypto  
populus sub Pharaone Judæorum, ac quoniam in hanc incidisset servi-  
tutem per imprudentiam, jureque ipsi posset cervicem subducere, quòd  
Reges Daniæ pactis non stetissent, secundum Regis mortem Christophori,  
ad pristinam Sueones aspirarunt libertatem, ac proprio sibi Rege domi  
creato, fædus meritò, ceu vinculum iniquitatis, deseruerunt.

Dani verò tantam ex suis feram cassibus, & tam nobilem prædam,  
adeoque pinguem ex faucibus bolum, amittere nullatenus cupientes, de  
gubernaculo Sueciæ per septuaginta tres deinceps annos, vario Marte, &  
arte cum rege Carolo, Stenone seniore, Suantone, ac Stenone juniore,  
summis regni moderatoribus, continuò propemodum decertarunt. Quo-  
rum ego molitiones, & concertationes presenti sum libello fideliter com-  
plexus, ipsumque eodem, quo priores operum meorum tomos, jure  
MA-



MAJESTATI VESTRÆ humiliter inscribo, & consecro; Ac de clemētiā, propensioneque MAJESTATIS VESTRÆ erga literatos, & eorum labores, præcipuè verò in gratiam patriæ, & familiæ Regiæ, fideliter exantlatos, atque publicatos, confusus, non mihi persuadeo istum, ceu commodo, encomioque gnæviter utriusque desudantem, minus fore acceptum MAJESTATI VESTRÆ libellum, quàm hujusmodi aliorum scripta virorum; Quod simul obnixè postulo, & MAJESTATI VESTRÆ faustissima quæque cœlitus quotidie flagito.  
Raptim Cajanaburgi XXVII. Februarii. Anno MDCXXIII.

S<sup>x</sup>. R<sup>x</sup>. MAJESTATIS VESTRÆ

Fidelis ubique Servitor,

JOHANNES MESSENIUS.



P R O G R A M M A.

**Q**uantum diadema habet pericli!

Quot ludibria sortis experitur,

Celsus qui residet throno, beatus,

Et faustus licet æstimetur illis,

Qui rerum exteriora metiuntur!

Testis Carolus est mihi futurus,

Sceptro qui Sueonum potitus, atque

Norvegum, tot adit pericla passim

Longum quot memorare nunc Poëta;

Textus non filet illa subnotatus;

Bis amiserat axioma regni;

Extorris Patriâ gemiscit; hostis

Non rarò insidiis domi appetitus,

Dani præcipuè dolo subortis;

Quas idem Stureis tetendit artes.

Ergò quot diadema habet pericla !





## CHRONOLOGIÆ SCANDIANÆ TOMUS QUARTUS.



**Nno MCDXLVIII. Optima-**  
tes Sueonum discriminis ignari impenden-

tis, Jenecopiam confluunt, & divulgato illic Christophori obitu, Proreges constituunt, Benedictum à Salestad, atque Nicolaum à Diursholm, Equestris viros dignitatis, magnæque in regno authoritatis. Deinde pro

novi Regis designatione, conventum promulgant Ordinum, festo corporis Dominici Stocholmiæ inchoandum, abnuentes prius colloquium invisere cum Danis Halmstadianum, & Marschalcum ex Finlandiâ Stocholmiam invitantes.  
Hinc verò Nicolaus, Sueciæ Primas, Upsaliâ regressus, XVII. Februarii, vitam cum morte commutavit, & mox Patrum calculis, M. Johannes, Upsalensium Præpositus, Benedicti proregis filius, successor approbatus, pro confirmatione suos ablegat oratores impetrandâ. Cum autem bini hoc tempore summi essent Pontifices, unus quidem Lugduni, à concilio deputatus Basiliensi, & alter Romæ, Nicolaus, illum nunciis mandat accedere, quem potior Christiani orbis portio, pro legitimo agnosceret Pastore. Verum unus Legatorum, M. Carolus, admonitionis turpiter immemor, licet Lugdunensem cum ipso passim damnatum concilio, cognosceret; tamen profectus Basiliam, ab ipso pallium Joanni, & sibi vacuam obtinuit Præposituram, indeque Upsaliâ reversus, candidato gratus advenit. Comes interim M. Canutus, posthabito Felice schismatico, Romæ à Nicolao V. confirmationem Joanni conatur impetrare. Ad quam se non alienum conferendam, per literas candidato significat, si repudiato Basiliensi conciliabulo, illiusque Pontifice, cui Suecia vivo Nicolai antecessore, mordicus adhæsisset, sibi sponderet inprimis obedientiam.

Nec minùs etiam se benignum Nicolaus exhibuit Vastenensium nunciis, decreta infringens concilii, & reliquis subscribens ipsorum postulatis.

Jam comitalis Stocholmiæ dies imminebat, quò Marschalcus veniens armatus, munitiores occupat civium ædes, firmat, favores ordinum captat, & proprium mox Regem denunciât eligendum Sueonibus, unione regnorum, velût nimium patriæ inimicâ, repudiâtâ. Sed novus



Archipræful, cum parente ac patruo, Sueciæ proregibus, contribulibus, & sectatoribus, arcem defendit; Regem Halmstadii calculis trium regnorum eligendum contendit; fæderi adhærendum, & causâ cadens, Upsaliam iratus clanculum inde secessit. Enimverò post aliquot dierum corrixationes, rationibus adversariorum proreges, ac fautores superati, Regis consentiunt electioni, bini horum, & tertius Marschalcus, candidati nominantur, vota que colliguntur, quorum LXIII. nactus Carolus, & competitorum solum V, Rex Sueoniæ, XX. Junii, sollenniter appellatur.

Illud verò inaudiens Archiepiscopus, Stocholmiam subtristior re-  
meat, quod non parenti vel patruo, fratri aut patrueli, regni obtigisset  
sceptrum; ast hosti profapia suæ conjurato. Nihilominus tamen dissimu-  
lat dolorem, monstrat amorem, & Oelandiam, Norundiamque in feu-  
dum adeptus, jurat fidelitatem, vindictam in oportunius differens tem-  
pus, quæ infandam patriæ deinceps adduxit calamitatem. Stocholmiâ de-  
mum cum novo festinant Ordines Rege, ad pratum Morense, ubi XXVIII.  
Junii, denuò confirmatus, postridiè regia capeffit Upsaliæ insignia;  
XXXIII. Sueciæ Nobilissimos, Equestribus decorat ornamentis; propriis  
epulum inaugurale sumptibus exhibet. Ast II. Julii, Joannes consecratus,  
mox Catharinam Regis conjugem, sollenniter coronavit.

Modicò autem post tempore, acceptis Nicolai V. literis, in gratiam  
cum illo rediit lubens; mandatis obedivit; novam acquisivit officii con-  
firmationem, & Doctorem Birgerum Magni, repudiato M. Carolo, Pon-  
tificis ex voluntate; Upsalensi donavit Præpositurâ.

Porro Rex Sueciæ Carolus, non infimo fuit nobilitatis gradu satus,  
velut Crantius somniat. Quandoquidem priscis Sueciæ, Daniæ & Norve-  
giæ oriundus esset Regibus, Erici III. ac Rechissæ trinepos. Princeps fanè  
regio corporis habitu procerus, perdoctus, formosus, facundus, calli-  
dus, providus; sed nimium pecuniæ cupidus, timidus, & minus quàm  
deceret Regem, in bellicis versatus rebus. Attamen suis opibus, &  
aliorum fretus operâ, post coronationem, Danos ac Norvegos de suâ fa-  
cit certiores promotione, se quoque ab illis electum iri confidens, atque  
thesaurum Sueciæ, classem, armaque minaciter reposcens. Deindè  
Gotlandiam Sueciæ insulam recuperaturus, Birgerum Trolle, ac Ma-  
gnum Gren, Abogenfi donatum feudo. illuc cum grandi ablegat exercitu.  
Qui obviis in portu hostibus Flensvicensi repulsis, terram invadunt, Vis-  
bygium, arcemque obsident, & Carolus suis ex propinquo consilium at-  
que auxilium citius laturus, in Oelandiam proficiscitur vicinam.

Proindè suis Dani rebus formidantes, & Holfatiam, Jutiamque re-  
gno australem subdere machinantes, Adolpho illarum Principi, sceptrum  
deferunt. Quo ille ob senium recusato, Danis persuadet Christiernum,  
Comitem Oldenborgensium, suâ natum sorore, & velut Scondiæ propa-  
gatum Regibus, eligendum. Hic igitur Hadersleviæ, Calendis Septem-  
bris, Rex salutatus, XXVII. post die, Viburgi Ordinibus præstitit jura-  
mentum, promittens inter alia, ex sententia Consiliariorum, se regnum  
in quibuslibet gubernaturum negotiis; officia & beneficia nullis permissi-  
rum alienigenis; arces non oppignoraturum; nec documenta Reipubli-  
cæ ex regno transmissurum. Interea Ericus, maris Baltici prædo, à  
Sueonibus in Gotlandiâ summoperè pressus, Christierni opem implorat, il-  
li deferens insulam. Quamobrem Danus, missis ad Carolum Legatis in  
Oelandiam, monet, ut militem ex insulâ Danici juris suum revocaret, &  
rationibus devictus, classem parat armatam. Nostrates autem Erici frau-  
de perceptâ, urbem acrius impugnant, & IV. tandem Decembris, ex-  
pugnant. Posteaque Dani tribus amissis navigiis, ac D. classariis, adve-  
nien-



nientes, illud cognoscunt, & subito redeunt in Daniam, ut Carolus in Sueciam; Quam pro more cœpit regio protinus oblustrare, atque Norvegis suam pergit electionem insinuare, Danicæ jam pertæsis servitutis. Quo fortassis negotio usus fuit operâ Magni Gren, Norvegi, quem ideò revocavit ex Gotlandiâ, Birgero Trollio mandatâ oppugnatione.

Anno MCDXLIX. Christiernus alterum sibi bolum è faucibus à Carolo ereptum iri metuens, uno ante Pascha mense, per suos Aslogiæ Legatos, Norvegis se pro Rege acceptandum, velut regiâ ipsorum stirpe progenitum, conatur persuadere, solos partium suarum fautores experiens, quosdam regni proceres, natione Germanos. Sed Ericus in Gotlandiâ subsidio Danorum expectato frustratus, foris Sueonum armis, & intus tantâ per hyemem fame cruciatus est, ut LX. cum suis absumpserit equos, ad consuetosque versus dolos, Trollio ad amicum accito colloquium, spondet Visburgi deditioem, sibi que vicissim ad vitam concedi poscit, Borcholmium cum Oelandiâ. Et dum Birgerus hâc super re consulit Regem, inducias nactus, sibi de necessario providet ex urbe comeatu, inque sinu gestiens, Danorum vere primo sibi affuturum præstolatur auxilium. Carolus verò pactum ægerrimè tulit, cum aliâs Visburgo Trollius fuisset potitus; Tamen siquidem optima rei gerendæ prætermissa foret occasio, promittit Erico, quòd dedito Visburgo, habiturus esset Borcholmium, & subverens, ne Birgeri porrò illuderet simplicitati, Grenium cum novis illuc copiis expedit.

Quem etiam fraudulentis detinet Ericus responsis, donec nomine Christierni, Olaus Axelii, optimatum Daniæ primarius, solennia circiter Paschalia, cum mediocri adveniret classe. Qui accessu à Suecis, velut grandibus destitutis navibus, non prohibitus, Visburgum appellit, illique Ericus promisso literis firmato, de Nycopiâ Falstria, Ravensburgo, Aleholmio, & Lalandiâ, sibi vicissim superstiti concedendis, contentus, tradit castrum, præsidio Danorum protinus firmatum, ac cum Olao indè navigat in Boreholmiam. Illic autem ab Olao, aliâs sibi plurimum infesto, se comperiens delusum, non modicâ thesauri portione insuper exutum, & neque vitæ securum, clam indè profugit in Pomeraniam, binis in mari amissis navigiis, atque Rivoldii consensens, moritur princeps perfidissimus.

Tanto rerum successu Christiernus animosior, ut Suecos ex Gotlandiâ ad patriæ defensionem redire compelleret, sibi urbe ac toto insulæ dominio relicto, sub Maji principium, Sunderbogiam Gothiæ provinciam invadit, indeque repulsus, primum Carolo bellum denunciat. Is proinde aliâs hostium prohibiturus incursiones, quinas circa regnorum limites, partim restaurat, partim de novo fundat munitiones, nimirum Scageholmium, Romleburgum, Oerestenum, Kinnaholmium, ac Echolmium. Deindè non Marte solum; ast etiam jure cum Danis paratus disceptare, Calendis Juliis, Christiernum invitat ad colloquium Halmstadii, vel Cålmarniæ, intra spacium anni, per utriusque habendum Commissarios, ubi lis super Gotlandia, & aliis Suecos Danosque inter decidenda esset controversiis, interim paratus urbem ea tradere conditione Magistro Crucigerorum, & Lubecensibus, si lege pari vellet ille arcem pandere iisdem, ut victori præfato in conventu evadenti, assignarent demùm utramque.

Verum Danus hæc furdus hauriens auribus, Adolphi subsidio avunculi, aliorumque fautorum, CL. navium comparat quantocyus classem, & cum nonnullis jussus copiis præcedere in Gotlandiam, Olaus Axelii, reliquis paulatim subsequentiibus, ad prætentandos Sueonum animos, delatusque in portum Garneensem, advocato Magno Gren, potentiam Christierni



exaggerat adventantis; Caroli nuperas ad ipsum literas demonstrat, ac denique cum ipso circa XVIII. Julii, ita transegit, quod sequenti Paschæ, vel Johannis Baptistæ tempore, XXIV. ex utroque proceres regno congressi, adhibitis etiam, si placeret, exteris arbitris, litem omnino deciderent; Et interim Sueones urbem securè, totamque possessuri essent insulam, atqui castrum Dani, ad quod modò liber eapropter Olao, & Christierno permittendus esset accessus, solutâ obsidione, propugnaculis, gerris & pluteis, solo adæquatis.

Itaque Magnus literis hâc de re Olai, & aliorum VII. munitis procerum sigillis Danicorum, seductus, Olaum inprimis, & Christiernum deinceps cum exercitu admisit universo, XXVIII. Julii. Isque mox interrogatus, an pactis cum Olao conventis, vellet subscribere? post biduum, missis ad nostrates duobus procerum, assentitur; Et tamen ipsis vix in castrum regressis, indè mandat flammam injicere civitati, Sueonesque tam securos invadere. Verùm nostrates ex occupatis subito firmioribus urbis domibus, hostem animosè reprimunt perfidum, CCC. ex illo trucidatis. Ideò Christiernus ipsos citra graviorem longè suorum cladem indè non exturbandos considerans, postridiè, nimirum XXXI. Julii, denuò cum illis transigit, securum cum bonis ex insulâ habituris abiturum, sibi urbe, arce, totâque Gotlandiâ, permissis, de qua, XII. utrinque summates, Calendis Majis, Halmstadii essent disceptaturi, & annuæ post XI. Novembris diem, induciæ inter regna permanfuræ.

Sic Sueones amisâ turpiter Gotlandiâ, vetustissimâ patriæ insulâ, cum ignominia remeant, immò & perfidia. Quandoquidem Grenius cum nonnullis commilitonum, hosti etiam præstiterit homagium, spemque fecerit Sueciæ insuper totius obtinendæ; Quam, veluti per partes recuperaturus, Gotlandiam inprimis, testimonio Alberti Crantii, Danus invasit. Quamobrem tantâ plenus fiduciâ Christiernus, Daniam ovans repetit, Hainiæ, XXVIII. Octobris, regalibus donatus insignibus, & Dorotheæ, Christophori viduæ superstiti, sociatus matrimonio. XXX. designat Equites, Olaoque Axelii, partem ipsius dolo Gotlandiam, hanc oppignorat. Erat is perillustri viri, Axelii à Barløf filius, VIII. adeptus fratres, quorum Ivarus, Ericus, & Laurentius, postea ductis in Sueciâ uxoribus, illi non modicam induxere calamitatem, prout ex progressu historiæ fiet manifestum. Sed ad originem Christierni quantum attinet, habuerat ille tritavum Ducem Sueciæ Ericum, Ingeburgem, Haquino Norvegiæ Rege penultimo genitam, tritaviam, & Christopherum, Valdemari IV. Danorum Monarchæ, patrem abavum; Ideoque Scondiæ affectabat totius dominium.

Atque primò Norvegiam sibimet, ac Daniæ subjugaturus, mense Julio, novâ iterum legatione, incolarum Marstrandii pertentat animos, illis spondens legum & privilegiorum immunitatem; Quodque nullum in regni Senatum intrufurus esset alienigenam; aut feuda his vel arces permittiturus; non sine Ordinum consensu belligeraturus; nec toties illos ad comitia in Daniam accersiturus; insuetis non oneraturus tributis; immunes à vectigalibus in Daniâ facturum. illis vetera restitutus diplomata, post suum habituris obitum, liberam Regis eligendi potestatem, si absque hærede moreretur. His autem seducti australes Norvegi promissis, Christierno promittunt subjectionem; Quam boreales præcisè abnuentes, cum Archiepiscopo, Episcopis, & Optimatum plurimis, Carolum ad diadema vocant capessendum, antequam illud Christiernus violenter arriperet.

Is proinde non morandum ratus, convocatis Arbogiæ Ordinibus, XXIX. Septembris, Gotlandicam suggerit transactionem, & suam à Norvegis electionem, rebusque domi probè ordinatis, cum D. festinat equitibus



bus per Vermelandiam in Norvegiam, Hammariæ, XXI. Octobris, pro Rege susceptus ab accolis. Quorum defensione CC. commendatâ equitibus, per Dofrenses properat alpes Nidrosiam. Ubi XX. circiter Novembris diem, præsentibus, & assentientibus Norvegiæ primariis ordinibus, coronâ redimitus, eadem quæ Christiernus illis confirmat privilegia, XX. torquatos creat Equites, illorumque binis commissio regni gubernaculo, XXIV. Novembris, indè per Jemptiam properat Stocholmiam Sueoniæ. Illic verò per Natale Salvatoris, cum regni Senatu negotiis reipublicæ ponderatis, inaudivit Hartvicum Krumedichium, Achershufii Castellatum, sibi rebellem, annoque exeunte in Norvegiam rediit.

Anno MCDL. Krumedichius Sueonum & Noricorum armis vehementer impugnatus, pollicetur se neutri partium adhæsurum, nec accolas molestaturum, donec Halmstadianus esset peractus conventus, & his obtinet legibus pacem. Itaque regno pacato, Carolus per Vichiam indè Ludosiam comeat, Ordinibus Sueciæ per literas mandans, tribus ante Pascha septimanis sibi Arbogiæ occurrere. His autem illic congressus, XII. nominat proceres, Halmstadii Danos ex pacto conventuros, ipsis severè inhibens, ne Gotlandiam, vel Norvegiam adversariis ullo modo addicerent, Pontificis & Cæsaris potius sententiæ, aut fortunæ, martisque submittendas experientiæ.

Congregati verò Halmstadii XXIV. illi Optimates, pacem inter Carolum & Christiernum, his instaurant conditionibus, XXIX. Julii, inchoandam: Alterutro Regum mortuo, superstitem orbi designarent, vel Rege carerent, donec etiam alter in fata concefferit, interim per regni Senatum gubernandi, & à sociis contra hostes defendendi. Utroque tandem vivis erepto, Halmstadii Sueones ac Dani convenientes, Regem ex indigenis sibi constituerent, qui leges privilegiaque utriusque populi servaret inviolata; non illum per alienigenas gubernaret, neque his feuda conferens; Ordinibus non bellaret invitis; damna bello passis compensaret; regnum poscens opem necessariam, militi com meatum subministraret; annui ex regnis non efferrerentur census, nisi summâ urgente necessitate, aliàs in thesaurum regni essent condendi, vel Principis sustentationi præsentis applicandi; Profugi non fovendi; ast pro meritis essent plectendi; ut etiam regnorum machinantes separationem, quòd perpetim sub uno deinceps rege essent cohæsura, & Norvegia, si placuerit, illo tempore ad unionem pro arbitrio accessura. Quam Carolus interim cum jure suo in illam universo, resignaret protinùs Christierno. Verùm de Gotlandiâ, XXIV. Junii, anno sequenti, Rotnebygiæ cum adversario disceptaret.

Neque hâc contenti Sueonum Commissarii perfidiâ, odio in Carolum, imperiosè nimis regnantem, occæcati, & à Danis Sueciæ inhiantibus, opemque pollicentibus, acriter inflammati, spondent, nisi Carolus ctra XXIX. Julii, hæc suis roboraret literis decreta, se voluntarios Christierni captivos Helsingburgi futuros, illâ fraude suos etiam contribules amicosque, Carolo adversarios objicere molientes. Alias quoque insidias, non minùs periculosas, hic tendunt illi, concludentes, quòd nisi quaslibet regni arces, sibi & complicibus consignaret, Christierno deinceps pandendas, ad thronum Sueciæ hâc occasione facilius promovendo, vellent in proximo Regum conventu, obedientiam illi subtractam, deferre illam Christierno. Nec omnes æquè complices hujus fuerunt conspiracy; sed potissimum illi, qui à throno Sueciæ ante biennium essent repulsi, illorumque fautores, qui intolerabilem sub Carolo binis nimium sceptris superbo, formidabant imperium servitutem.

Halmstadio domum nostri certatim dilapsi, Carolum hortantur ad comparendum Arbogiæ cum Ordinibus, XXIV. Junii, illic statuta cognitum



rum Halmstadiana, interim plurimos Magnatum, politicos & Ecclesiasticos, Carolini etiam pertæfos regiminis, ad sua pertrahentes castra. Carolus autem prius certior factus de conspiratione, constituto die, illam astute rescindit; avversarios privat arcibus & feudis, nè maligno valerent suo inde satisfacere proposito, inprimis Archiepiscopo Borcholmium cum Oelandiâ; Siggoni, Stregnensium Præsuli, ditiones alias; Nicolao Joannis, Orebrogiam. & Magno Gren, Abogiam, primariis hujus factionis architectis, auferens, Axelidasque in Daniâ sibi addictos redditurus, hanc conferens Erico Axelii, & illam Nicolao Erengislonio, Olai Axelii fororio. Deinde reliquis occurrens molitionibus, suo Helsingburgum expedito diplomate, decreta comprobatur, præter Norvegiæ causam, quam ad mutuum cum Dano Rotnebygiæ distulit colloquium, quod æmulum nemo esset invisurus, ut neque dolosos Helsingburgi carceres accessurus.

Interea temporis Christiernus in Norvegiam profectus, monstrato Halmstadiensi decreto, indigenas ad suas seducit partes; non tamen consensu omnium, electionem obtinens, & coronationem Nidrosiæ, XXIX. Julii. Siquidem Norvegi, Sueonibus finitimi, aliquot deinceps annis Carolo fideles persistierint. Nidrosiâ verò Christiernus Bergam concedens, illic Calendis Septembris, novam ab Ordinibus impetrat unionis subscriptionem, conditione quidem hujusmodi, quod Norvegiæ non esset Dania præferenda; incolis jura privilegiaque permittenda, per indigenas solum gubernandis; Horum sine consensu, non bellum suscipiendum; regnum ab altero impetrans copias auxiliares, his sumptus provideret, Rege damnâ compensante, ac quaslibet Norvegis modò condonante offensiones. Is tamen Caroli propter designationem, illos deinceps severe nimium profectò multavit, & nunc considerans, nupero Aslaci provocatus exemplo, populi fidelitatem erga Regem, ab Archipræsulis potissimum dependere semper autoritate, ut fideliores sibi ac suis illos redderet, Nidrosiensis Præsules successoribus, in eodem Bergæ conventu, Ordinum sententiam obtinet, Regibus jus præsentandi viduæ Metropoli, velut à priscis fundatæ dotatæque Norvegiæ Monarchis, Primates attribuens.

Itaque hujus vigore potestatis, Aslaco de vitâ hoc anno migranti, quendam subrogavit Nidrosiæ, Marcellum, suæ sectatorem aulæ, & Nicolaus V. suo usus jure, Henrico cathedram assignavit. Quos inter competitores, viguit aliquandiu discordia, Pontificemque simul & Regem, hoc denique succumbente; Qui præterea Ecclesiæ legavit Bergensi, Hardangerensium ditionem, ad quorundam ideò sacrorum operationem, sub amissione feudi, obligatæ. Verùm Nicolaus insuper à Norvegis, de vini querentibus penuriâ, rogatus, antecessoresque æmulatus, illis facultatem communionis Eucharisticae, vel potius ut arbitror, ablutionis, post Dominici corporis sumptionem, in hydromelite concedebat. Philippus verò Melanthon, Ruthenis eandem ob causam, hoc nostro indulget ævo potestatem, mulso sacrificandi. Quem cum Nicolao, ad Theologorum ablego tribunal, & ad Carolum deflecto sermonem.

Ille suorum domi perfidiâ, & Danorum foris impetitus invidiâ, velut etiam monachorum in regno laceffitus desidiâ, Nicolao V. per literas exponit injuriam sibi à Christierno, Norvegiam & Gotlandiam nullo jure invadente, irrogatam, ac cœnobitarum in Sueciâ incuriam, obsecrans ut suo quantocyus in Scandiam legato à latere transmissio, dignaretur utrique subvenire detrimento. Mandato etiam Caroli, saxum hoc tempore perverus Morensæ, de prisco fertur loco translatum, ad illum quo hodiè conspicitur monticulum. Denique Carolus, velut contribulis S. Birgittæ, & singularis ab illâ instituti patronus ordinis, cum assen-



assensu Suetici Senatus, Stocholmiæ IV. Octobris, cuilibet per regnum conjugio, binos imponit denarios quotannis pro Vastensium sustentatione cœnobarum pendendos. Qui vicissim pro Regis & procerum, totiusque in regno populi, vivi juxta & defuncti, essent salute ac incolumitate preces atque oblationes polliciti quotidianas.

Anno MCDLI. Carolus suæ non diffusæ causæ, controversiam de Norvegiâ & Gotlandiâ, etiam Magistro Crucigerorum, Negotiatoribusque Vandalicis, dirimendam submittere decrevit. Illi proinde à Sueonum Rege rogati, & peramicè invitati, suos expediunt Calmarniam legatos. Illuc simul Carolus abiuriens, nè adversarii novis in suâ studeant rebus absentiam, in conventu Ordinum indicto, gratiam, & subducta restituit feuda Sueonum Primati, ac Stregnensium Antistiti, veniam omnixè poscentibus, & abiit cum instructissimâ Calmarniam versus classe, militeque copioso.

Nec minùs ad utrumque paratus appulit Sölvisburgum Christiernus, & Rotnebygiæ nostrates XXIV. Junii, cum illius congressi Commissariis, decreta roborant Halmstadiana, præter Norvegiæ ac Gotlandiæ litem, quam æquo submitunt certamini. Sed Dani suorum ex Sueoniâ confederatorum absentiam cognoscentes, illud callidè tergiversando prorogant, & interim Carolo metum injecturi, Calmarniæ infestâ appropinquant classe, exploratâque hostis potentiâ, quem, nè illic quidem comparere, multò minùs remanere ausurum, spargebant, congressu superferent. Itaque Carolus utrumque comperiens dolum, ad tribunal provocat Romani Pontificis, aliorumque sententiam Principum & civitatum; simulansque inde abitum, Danos in quodam hærentes sinu, insperatus accedit. Qui pansis subito velis, illinc patriam versus certatim profugiunt, & Sueci Calmarniam revertuntur.

Interea Nicolaus V. justis Caroli precibus inclinatus, controversiam Suecos & Danos inter super Norvegiâ atque Gotlandia, XXIII. Junii, Bartholomæo, Coronensis Ecclesiæ Præsuli, velut suo de latere legato, commisit dirimendam, & Clerum Scondiæ reformandum, adhibitis regnorum Archiepiscopis, ac Brigittinis aliquot monachis in subsidium. Qui septimannis VIII. à Carolo expectatus Calmarniæ, tandem advenit, à quo ternis citatus vicibus Christiernus, renuit comparere, asseverans, suos transactione vel reformatione illius non indigere subditos, Norvegosque compellens ad protestandum contra designationem Caroli; Sueciam ex Vichiâ invadendum, & Magno Gren copiis Danicis stipato, mandans hostem alibi infestare, ita Carolo, & legato Nicolai, ad pacem nequicquam hortantibus; tandemque Danum contumaciæ & injuriæ coram Pontifice, ac multis Christiani orbis Principibus, illum graviter accusantibus.

Bartholomæus porrò cum deputatis sibi collegis, diœceses & cœnobia Sueciæ perlustrat; Cleri mores corrigit depravatos; neglectamque cœnobiis passim restituit disciplinam. Quo tempore Doctor Birgerus Magni, Upsalensium Præpositus, ex commissione Nicolai V. annuos collegit Romanæ curiæ census ex Sueoniâ, sub nomine Cathedralici S. Petro quondam promissi, depensos. Verùm Carolus Stocholmiam reversus, illic IX. hominum millia comperit peste, nimium hoc anno regnum totum affligente, occubuisse, simulque percharam inprimis uxorem Catharinam. Quæ VII. Septembris, concedens fati, in Ecclesiâ Stocholmiæ Dominicanâ, deponitur aliquandiu, indeque Vastenum postea transfertur. Illa Regi genuit Sueonum, IV. filios, in pueritiâ morte sublato, & V. filias, quarum uni minorenni, datis ad Pontificem literis, impetrat



postea facultatem ingrediendi Vasteni monasterium, ante præscriptam huic ordini ætatem. Conjugem verò non duxit impostero Carolus, concubinâ secretò contentus, ex qua & filium suscepit Canutum. Atqui Christiernus binis adversus pactum Halmstadii sancitum, non contentus Sueciam divexasse irruptionibus, sub finem anni, tertiam addit, duce Olao Axellii, qui incolas Tiustia crudeliter fuit populatus. Quare tantis Sueonum damnis Carolus auxilium laturus, publico jubet mandato, ad VI. Januarii, Ordines Stocholmiæ frequentes comparere.

Anno MCDLII. suboriente, Carolus interceptas Christierni literas, Norvegis directas, quibus Noricum evocaret militem, sibi Calendis Majis occursum Marstrandii, se jactans Sueciæ potiturum dominio, ante XXIX. Septembris diem, Ordinibus Stocholmiæ congregatis, monstrat; Christierni exaggeratque infidias; damna commemorat illata; Norvegiæ & Gotlandiæ, ut etiam Scaniæ, Blechingiæ, Hallandiæ, queritur amissionem, ad vindictamque Sueones hortatur, à quibus tandem bellum in Danos approbatur, & sollicitè paratur. Sed Christiernus Danorum & Noricorum non contentus armis, Vilsnacum sub religionis proficiscitur obtentu, ubi Marchionem Brandenburgensium affinem, aliosque XIII. Germaniæ Principes, ad hanc pertraxit in Suecos expeditionem.

Carolus interea temporis LXX. millibus virorum contractis, mense Februario, Scaniam invadit, incolis revocans primùm in memoriam, jus Sueonum in eam provinciam, ad spontaneamque hortans subjectionem, & nihil impetrans, ferro flammæque in contumaces desæviit; Helsingburgum, Lanscronam ac Lundiam, direpta exurit; Archiepiscopum parere monitis nolentem, acriter oppugnat armis, minis & promissis illi spondens obsecundanti, summos honores; reluctanti autem, extremam comminans pauperiem. Sed Tuvo Præsul, spacio deliberationi permisso, viris auctus, obedientiam detrectat; ex Lundensi viriliter se defendit Episcopo; Ivaro Axellii in commilitium admissò, Sueco protervè respondet, videlicet cum ex pauperrimo quondam scholari, in locupletissimum esset Daniæ Archiepiscopum, hodiè promotus, nec pauperiorem neque ditiozem, se ab illo esse efficiendum. Hinc magis Rex succensus, frequentissimo sub Dalby congregitur Scanorum exercitui, & CC. hominum trucidatis, bina hostium millia captivat, moxque libertate donat captos, subjectionem spondentes, ac obsides tradentes, protinùs Stocholmiam destinatos. Sed victor Scanorum reliquos aggressus, tanta infert huic detrimenta regioni, quanta etiam hoc lugent tempore Danorum historici. Ac ipsam quoque Selandiam infestasset, nisi fretum imbecilli admoldum glacie constratum, accessu illum prohibuisset, quam & causam adferunt Dani, non lati Scanis in hostem auxilii. Indè verò in suam reversus Verendiam, unum Blechingis immisit exercitum, à quo Lycheburgum expugnatum, traditur Birgero Trollio propugnandum; Et alterum expedit in Hallandiam, qui perfidiâ ductorum, scilicet Turonis Turonii, atque Echardi Krumedichii, hostibus conniventium, dilabatur domum. At Carolus Stocholmiam progressus, Finlandicam classi adjungit Suecanæ, circa Pentecosten, hostili sub Oelandiâ congressuram. Enimverò Christiernus cum auxiliaribus domum reversus copiis, Danos illis & Norvegos conjungit, hisque succinctus, mense Maio hosticum ingreditur, per Marschalcum obsidens Kinnaholmium Vestrogothiæ; sed Elsburgum ipsemet impugnat, hincque literis à Castellano certior factus de hostium adventu Carolus, jamjam immensâ Oceanum classe petiturus, Elsburgensibus vetat cum adversariis pacisci, ipsis propediem laturus subsidium, & navali posthabitâ expeditione, terrestrem consilio procerum decernit. Atqui Sueonum præ-



præfidiarii, non acceptis Caroli literis, ab hoste interceptis, cum illo faciunt inducias, arcium spondentes deditioem, nisi ante Calendas Augusti, Carolus ferret sibi auxilium. Has pactus Christiernus, Ludosiam properat, in quâ refugium contra Sueones captans adventantes, illam vallo fossâque ætutum communivit, & Carolum à Vestrogothiæ ingressu revocaturus, aut certè per illius absentiam occupaturus Stocholmiam, hanc Olao Axelii, & Magno Grenio, XLVI. navium classe mandat impugnare.

Itaque Carolus cum suo jam progressus exercitu ad nemus Thivedianum, hostem sub Stocholmiâ versari cognoscit, & reditum parat, jubens Elsburgensem ac Kinnaholmensensem, constituto sibi occurrere Vasteni die, præfectos. Proindè Olaus per sororem, Erengislonis Nicolai conjugem, Birgittam ab Hammerstad, quæ Danis identidem consilia Sueonum prodidit, admonitus de Caroli reditu, nec modicam suorum cladem passus sub Stocholmiâ, indè remeat quantocyus. Ac licet Caroli mandato advenientis, XXVI. ipsum navigia persecuta, tamen fraude quorundam evasit proditorum Vestervichium. Quo exusto, infestat Oelandos, à quibus fortiter repulsus, Gotlandiam repetit, militum CD. desideratis. Nec feliciori quidam alius Danorum exercitus, oppugnat simul Lyckeburgum successu, ubi CC. spoliatus militibus, cum ignominia recessit. Ut neque Christierni Ludosiâ erumpentes subindè cohortes prætorix, Vestrogothiam impunè sunt populata.

Carolus interim accersitos Vasteni conveniens Castellanos, illis defensionem arcium pollicentibus, quælibet subministrat tolerandæ necessaria obsidioni. Ubi resciscens Archiepiscopum & Stregnensium Præsulem, aliosque horum sectatores, novæ intentos factioni, crebrò illos frustra admonet præstitæ sapius obligationis. Etenim suasu, & Christierni adventu provocati, varios sibi ac suis irrogatos à Carolo despectus, nunc statuunt vindicare. Undè hostis illorum accessione plurimum animatus, Ludosiâ progreditur, & Carolini plus æquo consternati, Dano pollicentur arcium deditioem, cum Sueciæ reliquum subjugasset. Deindè Vestrogothorum cæteri, Varnhemix à Christierno convocati, spondent obedientiam, nisi ante mensem Augustum, Carolus afflictis illorum rebus succurreret. Quocirca illo citra subsidium tempore transacto, Jenecopiæ Dano fidelitatis præstant juramenta, simulque Benedictus, Vestrogothiæ Præsul. Quando per nemus Ostrogothiam invadere cogitans Holvegianum Christiernus, Thivegianum suo firmat præsidio, nè hostis indè Vestrogothiam molestaret. Sed Carolus de his probè informatus, Danos ex hâc profligat sylvâ, & per illam prohibiturus Christierno accessum, cæsis passim arboribus, viam obstruit; propugnacula erigit; Ostrogothisque sub auspicio Erici Nypertii, illerum commendat defensionem. Danus autem sibi aditum patefacturus, grandes præmisit cohortes, quarum pars trucidata, pars captivata, & reliqua cum vulneribus ad Christiernum reversa, suum deplorat infortunium, Caroli potentiam adventantis denunciat, & reditum importunè flagitat. His idcirco ille, velut etiam fame pesteque in castris grassante, permotus, Halmstadium mœstissimus remeat, DCCCC. ex suo desideratis exercitu.

Hujus Carolus victoriæ ignarus, cum multis festinat copiis in occursum Dani, & illam Vasteni cognoscens, ad recuperationem Vestrogothiæ, fortissimum, & fortunatissimum in bellis virum, Thordonem Bonde, suum illuc delegat patruelem cum parte cohortium. Is Ludosiæ primùm Dani aggressus præsidium, illud profligavit, LX. Danorum captivatis. Ubi literas Turonis Turonii, Axevaldensis, & Echardi Krumedichii, Romblaborgensis, Jenecopensisque, præsidum, aliorumque proditorias, ad hostem nactus perscriptas, illis munitiones eripit, in custodiam Varnhemix conje-



ætis, & Carolo literas horum destinat. Qui tantam plexurus pro meritis perfidiam, primariis Sueonum Stocholmiæ congregatis, illam proponit, literasque, quarum Birgitta ab Hammerstad, nonnullas Danis scripsisset, & tamen precio, ac precibus amicorum, mortem evaserat. Huc etiam citati, Archipræful, qui castro in Stechensi, CCC. cohorte militum; & Antistes Stregnefis, qui C. in arce Thinnelsiœgenfi, se firmassent, acceptis obsidibus, fide sub publicâ comparent, ac utriusque Ecclesiæ patribus, pro illorum spondentibus fidelitate, Regi melius imposterum servandâ, veniam obtinent.

Causæ porrò dissensionis Carolum & Joannem inter fuerunt, quòd ille olim Christierno Nicolai, avunculo Archipræfulis, dominium Sueciæ furripuisset; illum captivasset; parenti, patruo, fratri, & patrueli, prælatus deinceps fuisset, in throno regni capeffendo. Quòd his, & aliis amicorum, ipsique Joanni, crebrò feuda subtraxisset; illa minùs æquè divisisset frequenter; Clerum afflixisset; se in negotia ingessisset nimium Ecclesiastica; Officiales habuisset, & haberet versutissimos, avarissimosque, qualis ipsemet quoque esset; Juris, & libertatis Ecclesiasticæ, à priscis concessæ Regibus, prævaricatores, raptores, & plebeculæ oppressores. Vicissim accendit Carolum adversus Joannem, quòd toties ab illâ familiâ, ipsoque arrogantis ingenii Præfule, insidiis impetitus esset, honori sæpius suo posuisset eadem obstaculum; Norvegiam eripuisset; Danos inducere contendisset; & demùm quòd Christiernus, Archiepiscopi germanus, Annam Magni Gren filiam, Carolo, patriæque hostis infestissimi, duxisset in uxorem. Ac prò dolor! induxit hæc discordia immensum deinceps patriæ Oceanum calamitatis, utrique etiam parti exitiosum!

Denique Carolus, finito cum Senatoribus præfato colloquio, Vestrogothiam adit. Quem formidantes, Thuro, Echardus, & præful Sca-rensis, in Daniam profugiunt, cum aliis hostium fautoribus. Itaque Rex Ecclesiasticum alteri commendat provinciæ regimen, vetans profugo aliquid indè submittere subsidii Episcopo, & politicum assignat Thordoni, castrumque Axevaldense. Ità negotiis hic prudenter aliis quoque dispositis, veniens in reditu sub Jenecopiam, accessu prohibetur, & mox arcem obsidet, post mensem deditam. Sic hostibus Sueciâ difficulter ereptâ, iisdem & Norvegiam subducere meditatur Carolus, anno propemodum exeunte, nobilissimum, juxtâ ac bellacissimum virum, Georgium Caroli, per Jemptiam, & alpes, cum instructissimo expediens illuc exercitu. Hinc suis Dani armis diffidentes, de conventu iterùm cum Sueonibus frequentando, deliberarunt.

Anno MCDLIII. Carolus pacem utcunque in regno nactus, conjugis Stocholmiâ funus deducit Vastenum, illud IX. ante solennia Paschæ Dominicâ, in choro cœnobii Parthenico, magnificè tumulans; quem ciborio, eleganter inprimis fabrefacto, in usum Eucharistiæ conservandæ deinceps illustravit. Modò etiam thesaurum monasterii Carolus perlustrans, asseverat illas cœnobio à Philippâ, magni precii coronas, quondam donatas, regiæ potiùs supellectili convenire, nec per regulam licitum esse religiosis, citra conscientiæ labeculam, eas possidere. His Confessor & Antistita, persuasi rationibus, Regi tradunt diademata, pollicenti vicissim se cupro archiodæum Ecclesiæ cooperturum, utroque templi frontispicio in altum magis perducto, & techam multi valoris auream, pro reliquiis Sanctorum asservandis, leganti, ingruente necessitate, vendendam.

Quo tempore Vasteni, sub fide comparentes publicâ, Claudius Ronnou,



nou, Daniæ Marschalcus, Caroli sororius, & Ivarus Axelii, Chistierno impetrant inducias, ad Maji Calendas, & conventum utrinque Halmstadii, post sesquimensẽm obeundum. Interim verò neuter Regum à Norvegis census perciperet, ut neque Danus à Vestrogothis, & Georgius Caroli, ab infestatione Noricorum revocandus esset australium, Danis adhærentium. Sed isto non procedente colloquio, Arbogiæ quadriduo ante Pascha decernitur, ut Rotnebygiæ Calendis Majis, aliud frequentaretur, in quo de Norvegia & Gotlandia, Sueciaque esset tota disceptandum, prorogatis ad Junii Calendas induciis.

Cæterum Nicolaus V. à Carolo nuper obsecratus, ut liceret filia cum septennis esset, vitam Stocholmiæ, aut Vasteni amplecti monasticam, XIX. Maji, consensit, permittens ut habitum illo fumeret tempore, & professionem faceret primùm, quando XVIII. attingeret annum. Qui etiam Pontifex, à Christierno invitatus ad reformandum Holfatiæ Franciscanos, vitæ dissolutioris, monachos, suo non defuit officio. Sed Rex deinceps in comitiis Hafniæ celebratis, plurimos recuperat coronæ fundos, quòd æquo diutius ab illis forent possessi, quibus olim loco pignoris assignati. Itaque vigore hujus sententiæ, liberos postea Philippi fratris, Schelsorensibus ac Tranecherensibus, exutos amplissimis latifundiis, indignantes Ivarus, & Achatius, in Dania potentes admodum viri, Christierno non modicas facescunt molestias, in Suecia captantes subinde refugium.

Cum pertransivisset nunc dies, Rotnebygiæ indictus, sine colloquio, & finis appropinquaret induciarum, per eosdem missos Stocholmiam legatos, Dominici festo corporis, aliud XXIV. Junii, ibidem ab utriusque regni Proceribus instituendum, obtinuit Christiernus, annuasque simul inducias, iisdem, quibus antea, conditionibus. Verum neque iste procedit conventus, quòd Dani non tam disputationem de Norvegiâ & Gotlandiâ, suæ conscii minus æquæ causæ, quàm jurisdictionis Sueticæ, quærenter prorogationem, ut interea belli nervum contraherent; Suecos & Norvegos à Carolo abalienarent, crebris hujusmodi conventibus. Quo etiam sine per sequens triennium, omissis colloquiis, frequenter simulant se Sueciam invasuros, Carolum hoc provocantes dolo, ad conscribendum frustra quotannis militem; classem apparandam; mare obvagandum; nova regno tributa imponendum; varios faciendum sumptus; thesaurum exhauriendum; æstivisque & hybernis, cum maximâ Sueonum molestiâ, hærendum semper castris, donec ille gravissimo his de causis Ordinum expositis odio, facilem Christierno aditum ad Sueciæ & Norvegiæ permitteret dominium. Nec Dani his contenti, Norvegos cisalpinos, induciis securos invadunt, quos denuò compellunt ad promulgandum se Caroli osores, non fautores, illoque se prorsus abdicandum; Ipsos tamen Thordo in obedientiâ Caroli detinuit, nonnullis ibi munitionibus erectis.

Atqui conventum revisamus Stocholmensẽm, in quo plurimum monetæ valori derogatum peregrinæ, & modus Sueticam augendi renovatus, novis Stocholmiæ, Sudercopiæ, Abogiæ atque Calmarniæ, institutis officinis; Quibus exotici in Sueciâ negotiantes mercatores, ex mercibus XL. marcarum, regno illatis, libram argenti pro solutione semper essent præsentaturi.

Anno MCDLIV. Carolus liberali admodum donatione Regum in Sueciâ veterum, plures quàm necessarium esset, considerans fundos Clerum possidere, cum grandi status regii detrimento; velut etiam quot prædia rure haberent Ecclesiastici, exploraturus, horum inquisitionem



nem suo demandat genero, Erico à Foglevich, & Doctore Claudio Ryting, Cancellario, simul inhibens politicis, nè cum tantâ hæredum injuria, & ordinis penuriâ militaris, tot Ecclesiis bonorum conferrent. Hincque odium porrò Cleri plus quàm Vatinianum incurrens, & nequaquam illis persuadens. Sed XXVII. Junii, prourbium in cineres redigitur Stocholmensium australe. Triduo autem præcedenti tempore induciarum evoluta, Christiernus hoc mense in Norvegiam profectus, IV. incolarum millia, sub auspicio Torberni Gafst, Sueciam vastatum ablegat. Quibus cum Tordo Bonde insperatus congreditur, & victoriâ potitur, ductorem abducens captivum. Deindè hujusmodi positurus obicem irruptionibus Tordo, has in Norvegiâ fundat munitiones, Billingsborgum, Gulborgum & Danaborgum. Christiernus verò indè navigans versus Daniam subtristior, quodam sub noctem excluditur portu à mercatoribus Gedanensium, & quòd per tenebras cum summo vitæ periculo, incertus diu fluctibus fuisset jactatus, graviter postmodum vindicavit.

Daniam tamen incolumis attigit, ac Optimatum consilio, Carolum per legatos iterum compellat super induciis, qui Vasteni in autumnum illum convenientes, bimas assequuntur. Mavortius autem heros Thordo, cujus industriâ Carolus victoriâ toties adeptus, regni designatur ibi Marschalcus, & Norvegiæ cum Vestrogothiâ gubernator, cujus etiam nuptiæ regiâ prorsus magnificentiâ illic celebrantur. Quando simul regis filia jam septennis, cœnobio solenniter mancipatur, parente aureo diademate redimito, voce celsâ Evangelium canente; Qui regio indutus paludamento, dexterâ orbem gerit aureum, & sinistrâ sceptrum gemmis præfulgidum. Atqui Procerum unus, coram illo evaginatum librat acinacem, indicans Regem pro Evangelii defensione paratum dimicare. Hanc Caroli magnificentiam, Dani præsentis oppidò demirati, ac potissimum prægrandem Regis argenteam supellectilem, in qua præter alia, permagnæ chrysendeta æstimationis plurima, visabantur argenteæ MCD. elegantes patinæ.

Denique post abitum Danorum, Ingeburgem cœnobii Antistitam, & Christierni materteram, factionis cum Dano suspectam, Carolus in ordinem redegit, aliâ ex monialium suffragiis subrogatâ. Quando per honorificè Carolus, Christiernusque, invitati ad conjungenda in Turcam, Christiani nominis hostem conjuratum, arma, qui XXVIII. Martii, Constantinopoli per vim occupatâ, immanem exercuisset tyrannidem, domesticis se bellis excusarunt.

Cæterum flagrante adhuc controversiâ Nidrosiensium competitorum, Christiernus Marcellum suæ commodiorem molitioni, ad cathedram promoturus, ipsum Romam expeditum, Nicolao fideliter hoc nomine commendat, asserens concorditer esse designatum à se, velut Ecclesiæ vacantis legitimo patrono, confirmatum, & huic peraccommodatum officio; prout adversarius Henricus, senio confectus, alienigena, linguæ ignarus Norvagicæ, hostium clam studiosus, & adversus privilegia intrusus, hujusmodi nequaquam idoneus esset functioni. Nilominus tamen repulsam Romæ Marcellus passus, Scandiam versus pergit, & Coloniam regressus, illic rebus spoliatur, aliquantisperque captivatur. Id verò facinoris, Christiernus Nicolao referens expensum, cum ipso per literas exposulat, candidatum ut confirmaret, de nuò obsecrat, atque moneret Colonenses ad spolia restituendum. Quibus etiam ipsimet hæc super re perscripsit, & contemptus, illorum in freto Cimbrico merces censuit detinendas.



Anno MCDLV. mense Junio, genuit illi Dorothea Johannem, Scandia deinceps Monarcham. Bergæ autem in Norvegiâ, gravis fuerat tumultus; Siquidem Torlavus, qui olim Upsaliæ, & postea Viborgi, & nunc illic officio fungebatur Antistitis, importunè nimium perse, & Olaum Nicolai, castrî præsidem, decimas à Germanis ibi mercantibus, extorquens, ab illis furore succensus, cum Olao, & Nicolao, hujus fratre, trucidatur, cœnobiumque Munchalivense, Brigittinum, in quo frustra captarunt refugium, crematur. Quâ de re Christiernus, ad Sixtum III. Nicolai nuper mortui successorem, dedit literas, obsecrans ut alienigenas sceleris authores, non cives indigenas, censuris mulcicaret; ad orbam promoveret cathedram, Jacobum Grubbe, Roschildensium Canonicum; Nidrosiensem permetteret Marcello; & Carolum Sueciæ Regem, Oerebrogiam, uxori pro bonis olim vitalitiis, à marito concessam priore, detinentem subjiceret anathemati. Sed Axelius, perillustri viri Olai filius, censuris non contentus Pontificiis, mortem deinde paternam animosè vindicavit, piraticâ infestans classè Vandalorum insitiores.

Sixtus autem in literis, XIX. Octobris, ad Joannem Ecclesiæ Upsalensis Præfulem transmissis, primatis ipsum vocabulo salutat. Quod postmodum ille usurpans, Danorum, sibi Ecclesiasticum & politicum in Sueoniâ primatum, ambitiosè arrogantium, tantam incurrit indignationem, ut vanissimus hujusmodi titulus, eidem, temporis progressu, captivationis primariam præberet causam. Vastenenses interim domo spoliati Romæ Brigittinâ, per iniquam judicum quorundam sententiam, de hoc consulunt negotio Joannem Turrecrematam.

Anno MCDLVI. Infulam Calixtus Bergensem, confert Jacobo Grubbe; at Nidrosiensem, denegat Marcello, conscriptis adversus ipsum nonnullis articulis, ad quos jubet eum, pro tribunali Episcoporum respondere Danicorum. Ubi causam facile obtinens, Romam iterum festinat, & neque per Calixtum, neque successorem Pium II. voti compos evadit. Quibus interea Christiernus graviter succenset, paucos Noricorum habens suarum partium sectatores, potius Romano adherentes Archiflamini. Ideò tamen Calixto Rex plurimum gratulatus, quòd bullam obtinuerit in Carolum, gladio imposterum Ecclesiastico & politico, ipsum feliciter impugnaturus, Sueciamque subactus; Quam propter, non Oerebrogiam illud ex urbe fulmen censuit impetrandum, pro consuetudine antecessorum & successorum crebrò usurpata.

Sed aliud vicissim formidans Caroli fulmen, omninò bellicum, videlicet Tordonem, regni Marschalcum, hunc inprimis de medio statuit tollendum. Proinde muneribus Joannes Boëtii, natione Danus, ab intimis Thordoni existens obsequiis, seductus, dominum sibi benevolentissimum, Nestoreâque dignissimum vitâ, nocturno deditum somno, immanissimè cecidit, & opibus in naves congestis, in Daniam profugit. Postea fors Caroli pessum ire cœpit in Norvegiâ, Sueciâque, ubi hætenus existisset florentissima. Et Christiernus porrò rebus suis provisurus, in gratiam cum Coloniensibus redit, illicque per legatos pangit fœdus in Sueones, cum Rege Gallorum; Ac induciis ad finem properantibus, quarum tempore copiosum belli nervum contraxisset, bullam Sixti passim in Sueciâ dispergit; fautores sibi attrahit, & tandem canit animosus classicum, Sueciâ dispergit; quod XXIX. Junii deditum, obtinet; classè Finlandiam invadit; Viburgum incendens, atque Borholmium Oelandiæ premit obsidione. Præses verò castrî Ericus, Caroli Regis gener, hostis potentiæ nequaquam se diu obniti posse considerans, ad XII. Octobris usque



diem, cum ipso paciscitur, quando arcem certo dediturus esset, nisi Carolus interea veniret subsidio. Verum ille domesticis remoratus seditio- nibus, à Christierno etiam commotis, non tulit obsessis suppetias. Ideo- que die constituto, Ericus arcem pandit hostibus, contra fidem pactaque, turpiter opibus per illos spoliatus. Qui demum inde sub Calmarniam pro- gressi, à Gustavo Caroli, Regis sororio, in præsubitam aguntur fugam. Cujus nomine Carolus illi plurimum gratulatus, spondet ipsi, & Oelandis auxilium propediem ferendum, Ordinesque Stocholmiam ad Natalitia convocat Salvatoris, velut Christiernus suos prius invitavit Proceres ad epulum lustricum, III. Junii, filio altero donatus Friderico, qui secundum Johannem & Christiernum, ad scepra promotus fuit Daniæ, Norvegiæque.

Anno MCDLVII, exoriente, convenientes Stocholmiæ Sueones, in- primis de regionum tyrannide officialium queruntur, quos pro me- ritis spondet Carolus plectendos. Deinde concluditur expeditio pro re- cuperatione Oelandiæ, cui Archipræsul suppetias abnuit, donec accepta nuper in bello damna, Carolus vigore legum sibi compensasset. Quod Rex detrectavit, licet Antistes, impetratâ Ordinum sententiâ, ipsum ad satisfactionem comprobaret obligatum. Ac nihil inde sibi formidans pe- riculi, nuptias Birgittæ suæ patruelis, Nicolao Stenonis copulandæ, ap- paravit, XIII. Januarii, celebratas. In his verò Monetarius se paratum ad necem Regi inferendam, Archiepiscopo insinuans, ab illo repellitur, alium vindictæ modum repertum iri respondente. Hujus non inscius conspirationis, Carolus, pro tempore diffimulat, & saltem pluribus sui corporis custodibus adhibitis, vetat propius suspectis accedere, Upsa- lensemque seorsim vocatum Antistitem, novæ arguit factionis. Sed il- lum proprio spondentem juramento fidelitatem, & fidejussores insuper, Patres Upsalenses ac Stregnenses præsentantem, amicum, velut ra- tus est, dimisit, Calmarniamque versus cum exercitu contendit, man- dans Archipræsuli, Uplandos quantocyus congregatos, ad se transmit- tere. Verum Archiepiscopus cum suis contribulibus, fautoribus, aliis- que Caroli osoribus, persuadet illis rebellionem; literis ad valvas Ec- clesiæ suffixis, Carolo renunciat obedientiam; coram loculo S. Erici or- natu se exuens altaris, induit militarem, quem jurejurando protesta- tus est non depositum iri, donec patriam à tyrannis liberasset. Proinde regia infestat domicilia; præfectos illorum captivat; & Arosiam cum Up- landis profectus, illic Vesmannos, Nericios, Montanos ac Dalecarlos convocat, ipsis odium Regis instillat, affirmans quinquennio se Caroli fuisse intentum expulsionem, quòd Ecclesiasticæ, politicæque foret liberta- tis oppressor; rituum sectator hæreticorum; iniquorum amator præfe- ctorum; diuturnorum sator bellorum; intolerabilium author contribu- tionum; insignis rectè monentium contemptor, inexplebilisque aliena- rum direptor opum.

Itaque Carolus de tanto Uplandiæ informatus tumultu, illam sine morâ cum MCD. equitibus repetit, CCC. Stocholmiâ quoque advocatis, & pluribus aliundè copiis subito congregatis. Perveniens autem Ny- copiam, hujus præsidem, Ericum Axelii, velut factionis complicem, in vincula conjicit, & Arosiam versus properat, Archiepiscopo illic con- gressurus. Qui Regem Stregnesiam progressum cognoscens, ipsum intre- pide accessit, ac IX. Februarii die, rebus suis minus intentum oppressit; fauciat, profligat; & profugum insequens Stocholmiam, post octiduum binis circumdat castris, supplicem per nuncios contemnit; veniam exce- sum poscentem; emendationem spondentem, & legibus se submitten- tem, arroganter repellit, asserens ipsum non diutiùs throno esse potiturum.

Quam-



Quamobrem Carolus non diutius civibus fidens Stocholmensibus, nec subsidii quicquam ab amicis expectans, ad implorandam exterorum opem Principum, decernit aliquandiu secedere Dantiscum; Stocholmiam obmunit, Olao Drache commissam; thesauri partem Dominicanis tradit custodiendam; reliquam navibus imponens, cum CC. navigat inde classariis; septimâ ante Paschæ festum hebdomade. Illius verò subitum timens Archiepiscopus reditum, acriter Stocholmiam impugnat, & XXII. Februarii tandem expugnat, civium animos, sese urbemque illi spontè dederunt. Quem ea propter diem Præsul, toto solennem regno imposterum censuit habendum, acropolin quoque post mensem acceptans deditam. Sed interim de consilio protinùs ex Gotlandiâ vocati Olai Axelii, per legatos clam defert Christierno Sueciæ gubernaculum, quem nihilominus palam, velut hostem infensissimum, coram populo abjurat; Ericum Axelii de custodiâ productum, dolo nominat regni gubernatorem; ad subtractionem Finlandiæ illum ablegat, ipsemet Sueciam Gothiamque oberans, ad suam pertrahit obedientiam munitiones, præter Calmarniam, à Gustavo Caroli fideliter defensam; census passim relaxat indigenis; fautores proscribit Caroli; filias etiam illius, inter amicos clam latitantes, tempore sævientis brumæ, per Oceanum amandat tempestuosum in Prussiam.

Huc verò Carolus post triduanam prius feliciter delatus navigationem, à Gedanensibus honorificè suscipitur. Qui extorris miserati Regis, impenseque rogati, postridiè Ordines Sueciæ per literas ad illum hortantur recipiendum; Ut etiam alias Vandaliciæ urbes ad ferendum Carolo subsidium, amplissima ipsis in Sueciâ mercandi privilegia promittenti, quæ Danus regno potitus non modò non esset concessurus, sed nè vetera quidem permissurus, hostisque intolerabilis evasurus, serio invitant. Quibus insuper ad suppetias omninò permovendis, insinuat Crucigeri Magistrum Ordinis, certò decrevisse Christierni se dominio, si Sueciam is obtineret, submittere, qui lucrosa cum Moschovitis Narviæ mercimonia, Vandalicis hæc occasione mercatoribus vix esset concessurus.

Idipsum Carolus negotium aliâ promoturus viâ, præfato simul die, Casimiri Poloniæ, Henrici Angliæ, Regum, & Caroli Burgundiæ Principis, missis ad ipsos legatis, in communem poscit hostem subsidium, à solo impetrans Polono aliquid solatii. Enimverò Casimirus securum ipsi hospitium Dantischi concessit, illic familiariter cum eo colloquens, de Christierni molitione. Imò adhibitis in consilium negotiatoribus Vandalorum, per Caroli reductionem, Dani arrogantiam statuit compescendam. Sed tamen illius restitutio per integrum prorogata fuit septennium, & Princeps interim exul Dantiscanis aliquot auri mutuans talenta, quasdam Prussiæ ditiones, loco pignoris, usurpat; myoparonibus Sueones infestat, suis in Finlandiâ pressis ab Erico Axelii, ferens identidem suppetias, qui potius Moscho, quam Danis affirmant se dedituros munitiones.

Christiernus porrò illud à semet in Sueoniâ incendium suscitatum, libentibus contemplans oculis, aliud in Prussia Crucigeros adurens, ægrè intuetur, quòd illam, sicut & Estoniam, olim Danis subjectas, potius sibi, quam Polono cuperet submittendas. Proindè sub alio suscipiens prætextu Crucigerorum patrociniûm, VI. Januarii, Casimirum dehortatur à bello ipsis inferendo, aliàs se ordinis, de Christiana optimè meriti Republica, fore defensorem. Itaque Upsalensis nuncios Archiepiscopi, Sueciam sibi modò deferentes, cupidè amplexus, Hafniæ binis ante Pascha septimanis, suo pollicetur diplomate, si regnum illud adipisceretur, se non privilegia solum indigenis vetera confirmaturum, sed etiam novis ornaturum Bo-



renholmio Elsburgoque, cum jure Sueonum in Gotlandiam, & prædiis in Daniâ Norvegiaque, protinus restituti. Hâc autem fungebantur illi legatione, qui sua olim prædia Carolo vendidissent, ac spe quidem tali, ut Christierno in regnum promoti, ipsi fundos citra accepti refusionem argenti, recuperarent.

Cum hujusmodi responso in Sueciam alacres reversi, prolixam secum adducunt profugorum catervam, quos inter Benedictus Vestrogothiæ præsul, Thuro Thuronis, Gustavus Olai, & alij Christierno, quam patriæ fideiiores. Atqui Joannes lectis Dani literis, Carolo metu liberatus, Ordines convocat ad novam Regis electionem, XXIV. Junii, Stocholmiæ peragendam, & Christierno, ut potens illo adesset tempore, significat. Deinde à propriâ molestatus conscientia, Pontificis implorat absolutionem à censuris, quas ob bellum Carolo motum contraxisset, & culpam à se omnem derivaturus, plurima in Regem congerit extorrem crimina.

Quando etiam Christiernus suggerit Calixto, privilegium Danis olim à priscis concessum ejus antecessoribus esse, vetans Clericorum aliquem ad tribunal citari Romanum, antequam domi causa in primis examinata foret, & dijudicata, postcundo illius confirmationem immunitatis, quam, Calendis Majis impetravit. Verum sequenti navigat mensè Stocholmiam versus, & quando Archiepiscopus coram populo confluyente illum averfatur maximè, in conspectu urbis comparet, jactis ibidem anchoris. Mox igitur ex pactis cum Præsule initis, per nuncios Sueonibus, ob inopinatum suum attonitis adventum, significat se propterea advenisse, ut ipsis contra Carolum, propediem cum immenso Polonorum Vandalorumque affuturum exercitu, tempestivum ferret auxilium. Undè Joannes illum commendandi nactus occasionem, Ordines spem metumque inter pendentes, eò tandem permovit, ut Christierni assentirent designationi, modò istis subscriberet articulis: Promissis stare Hafnensibus; fundos Coronæ, vel Noblium ordini non subtraheret; vasallis regni Suecis feuda permetteret; infuetis nec oneraret incolas contributionibus, & actutum post coronationis solennia, indicto Procerum conventu Scondicorum, quaslibet decideret super Gotlandiâ, Oelandiâ, vectigalibusque sub Bohusio à Suecis pendendis, controversias.

His promptissimus subscripsit Christiernus, & mox cum solenni inductus supplicatione, XXIV. Junii, à præsentibus Stocholmiæ Ordinibus, Rex salutatur. Quo etiam die Finnonum nonnulli ab Erico Axelii, & Christierno Benedicti, fratre Archipræsulis, seducti, Abogiæ Danum simul pro Rege acceptarunt. Stocholmiâ verò Upsaliam profectus, XXVIII. Junii, in planicie Rex iterum appellatur Morensi, & postridiè quâ deceret sollemnitate coronatus, filii cœpit Johannis electionem Ordinibus insinuare, sibi mortuo successuri, optatumque impetravit non difficulter responsum. Deinde post octiduana Stocholmiam regressus spectacula & convivia, ipsam fidei commendat Thuronis, in Sueciæ Marschalcum quoque promoti, atque Paulum, Bergæ in Norvegiâ Episcopum, Romam indè ablegat, suam in Sueciâ coronationem Calixto manifestans; Carolum detestans, & Pontifici gratulans inceptam contra Turcas expeditionem; cui ferret opem libenter, nisi seditione impediretur Norvagicâ, propter binos Metropolis candidatos, belloque implicaretur, cum Polonis & Borussis suscipiendo, in gratiam Crucigerorum. Ideoque has in primis, suâ interpositâ autoritate, dignaretur Pontifex consopire seditiones, ut deinceps opem per Poloniam & Ungariam, liceret Scondiis commodius in Turcam, Christianis infestum, deferre.

Nihilominus tamem ipsemet denuò Christianus, bellum Polono, & Dantiscæ-



Dantiscanis, propter susceptum hospitio Carolum; vectigalia in Oerefundio non soluta; Crucigeros nuper impugnatos, atque seipsum ante triennium portu à Gedanensibus ignominiose ac damnose prohibito, denunciavit. Quando Sueones simul ab illo impulsus, cum iisdem, velut Carolum foventibus, & per regium copiose nervoseque respondentibus urbis gubernatorem, frustra exoptularunt. Judicibus tandem quibusdam de suo productis sinu, Christiernus nonnullas in Carolum proponit querelas, illum accusans violatæ inter trina Scandiae regna unionis; usurpatæ dotis, à Christophoro assignatæ quondam Dorotheæ; occupatæ per violentiam Norvegiæ; tyrannidis in clerum patrata; spoliata Ecclesiæ, ac impeditæ in Præsulum electionibus consuetæ libertatis. Ab his itaque Radamantis, dies Carolo dicitur, proximis Pentecostes sollennibus comparituro, affixâ Stocholmiæ, & in septem maritimis Vandaliaë urbibus, citatione; Quâ simul publicam illi fidem, X solum comitibus stipato, impertiunt.

Postremò regnum Christiernus, pro consuetudine lustrat veteri, Sueonibus aureos pollicens montes, quibus paucò usi tempore, ferreos deinceps experiuntur; Caroli famam ubique lacerat; militem in castri expugnationem Viburgensis, Erico Axelii subministrat; Clero sub peculiarem admissò protectionem, privilegia iterum roborat, XVIII. Octobris. Postridie autem Præsuli Upsalensium, Calixtus victoriam de Carolo, velut Ecclesiæ persecutore, gratulans, illum, & clericos absolvit commilitones à censuris in hac contractis militia, dummodò propriâ neminem occidissent manu. Primus verò Antistitum Joannes Suecicorum, collatis in prælio signis, cum regni principe belligeravit, quem temporis æmulatus progressu Gustavus Trolle, vulnus patriæ infixerat, nec dum perfanatum.

Anno MCDLVIII. Christiernus monitis obtemperans avunculi, Adolphi, Comitum Holfatiæ, ac Lubecensium consilio, in colloquium Stocholmiæ, XXIV. Junii, cum Polonis & Prutenis obeundum, consentit, Jacobumque Scotorum regem hortatur, ad numerandam ex Manerensium & Sudorensium insulis pensionem, XXV. annis non solutam; Et si quotannis CC. pendere teneretur nobulos, alias vigore contractus plurimo mulctandus esset argento, ac simul anathemati subjiciendus. Hanc vero litem Carolus, Gallorum rex, utrique confederatus, & rogatus à Christierno, suscepit componendam, partibus diem Parisiis invisendam assignans. Verum quòd interim Scoti, præfectum Islandiæ regium tempestate pulsus ad littus Orchadensium spoliassent, & captivassent, conventui ponitur obstaculum, injuriamque Christiernus arbitro conquestus, atque Pontifici, se bello in Scotum movendo accingit.

Prius tamen hac oblustrans Sueciam hyeme, Joannem filium triennem, ratione promissi, in coronatione nuper obtenti, curat passim ab Ordinibus successorem sibi nominandum, prout etiam in Norvegia; sed in Dania, quo natus anno, designatum. Mense autem Junio, Christiernum Stocholmiæ, Polonorum & Gedanensium legati convenientes, queruntur sine legitima se impetitos bello à Scandianis præmonitione, atque Crucigeros hac volunt exclusos transactione, quos omninò Rex contenderet simul includendos. Hinc tantoperè incanduerunt animis utrinque, ut bellum sibi mutuò indixerint, & frementes remearint adversarii Dantiscum. Quos ternis infecuti navigiis optimatum aliqui Suecicorum, de nuò cum illis corrixantur; Interimque quidam Caroli fautores Viburgum Dano eripiunt, nuper ab illo subactum, quod difficulter admodum recuperavit. Sed XXVII. Julii, annuas Gedani inducias; novum Lubecæ



conventum, ad Maji Calendas futurum, & liberam utrobique negotiationem, paciscuntur.

Dum his porrò Legati Sueonum foris intenti, Christiernus domi Clero insignia donat privilegia, Stocholmiæ ipsâ corporis Dominici festivitate, illum sub protectionem susceptum specialem, à quibuslibet plebeiorum liberans oneribus, ut etiam in domibus Ecclesiasticorum urbanis habitantes, nec mercaturam exercentes. Deinde concedit Clero facultatem emendi necessaria suæ familiæ, ac vendendi, citra vectigalium dependentiam; multas de propriis servitoribus, & colonis obvenientes, levandi; atque Episcopis, sua in diœcesibus judicia, pro consuetudine prisca, sine impedimentis, celebrandi permittens, & tribus marcis agricolâ illic non præsentem multans, quique Scultetus à præfule vel officiali esset nominatus, officium recusaret.

Post Christiernus animum politicis accommodans negotiis, die lunæ secundum sollennia sacratissimæ Triadis, Dorotheæ conjugii Oerebrogiam, cum Neritia & Vermelandia, consensu Suetici Senatus, iterum assignavit. Ast postridie litem renovat in Carolum non comparentem, & per latam obtinet sententiam, quoslibet Caroli fundos cum bonis mobilibus, fisco regni attribuendos in perpetuum; iis duntaxat exceptis, quos antequam thronum invaserat, possedisset, vel uxoribus in dotem propter nuptias, filiabus relinquendos, donavisset. Quàm legitima hæc fuerit sententia, præcedens historiæ contextus, me hic silente, candidum facillè docebit lectorem.

Cæterum neque his sat Christiernus prædiis locupletatus, quem propter inexplebilem Sueones avaritiam, peram sine fundo, vocitarunt, per aliam recuperat sententiam, quoslibet Reipublicæ fundos, cuicumque tandem essent quondam oppignorati, asserens levatos interea redditus, fructusque ex illis perceptos, mutuum solvisse.

Stocholmia denique horum tempore indiciorum, flammis absumitur universa, præter Ecclesias.

Anno MCDLIX. Ingeburgis Christierni matertera, officio per illum astituta restituta, quo per Carolum fuerat prius exuta, XXVI. Januarii, choro Vasteni S. Annæ, in quo Philippæ prostabat tumulus, thecam legavit auream, à Carolo propter ablatas inde coronas, donatam, sic compensatura thesaurum, Romæ, & Basilææ in negotiis monasterii, structuraque ejusdem impensum, qui ex præfato ablatum fuit odæo, quondam illi ab Erico, & Philippa legatus.

Questus modò fuerat Christiernus, de Carolo apud Dantiscanos, quem induciarum tempore aliquot in Suecia & Finlandia munitiones occupare conatum asseveravit. Sed XXIII. Februarii, suis Carolum literis demonstrant infontem Gedanenses. Attamen Christiernus, captans perperam inde occasionem auxiliandi Crucigeris, nonnullas Dantiscanorum in Oresundio naves detinet onerarias. Quam graviter injuriam mercatores Calendis Majis, in colloquio questi sunt Lubecensi, ubi post altercationes varias, induciæ per quadriennium inter Scondios & Polonos Prutenosque, concluduntur, alium completo triennio Lubecæ, XXV. Julii, conventum frequentaturos.

Præterea Ericus, quondam Scondiæ Monarcha, Rivoldiæ in Pomerania hoc tempore, turbulentam clauserat vitæ periodum. In Sueonia verò Benedictus, Ostrogothiæ præful, morte quoque sublatus, successorem nanciscitur Chetillum, primariæ virum nobilitatis, XXIV. Septembris, à Pio II. Romæ confirmatum. Sed in Holfatia, X. mensis Decembris die, Adolphus Christierni regis avunculus, sine liberis in fata concedens,



de Ducatu & Comitatu Schovenburgensibus, Oldenburgensibusque litigandi præbuit occasionem.

Anno MCDLX. Christiernus, ex fœminea genitus linea hæredum Holsatiæ, præveniens Ottonem, ex mascula propagatum, sui obtinet electionem ab Ordinibus provinciæ, quibus sesqui ante Pascha mense privilegia roborat, & novis illos liberaliter ornat. Cum adversario autem post X. transigit septimanas, Oldislebiæ, illius redimens jurisdictionem, LIII. & fratrum, Gerhardi scilicet ac Mauriti, XL. aureorum millibus, hisque simul integrum assignans Oldenborgiæ atque Delmenhorstia comitatum; Et summam ex redditibus trium postea regnorum persolvens, verum esse demonstrat, quòd Suecorum ac Noricorum argento, Dani provincias sibi compararent.

Ità Scondia ac Holsatiæ rebus pro voto compositis, Christiernus suos expedit legatos, ad colloquium sibi, & Scotorum Regi, à Gallo præfixum, in quo poscunt intermissam XXVI. annis pensionem, ac CDIII. marcarum Sterlingensium millia, mûctæ nomine in contractu propositæ. Verum post diurnas partium velitationes, siquidem primarius Scotorum legatus, morbo in via detentus, cum documentis non advenisset, nec adversarii secum ex Dania contractus haberent autographum, mortuusque esset nuper Jacobus, Scotia rex, filio septenni hærede throni relicto, Carolus illud censuit optimum concordia medium pro tempore, quòd Danus Scoto filiam daret conjugem, & genero jus pensionis, successoribusque, in perpetuum relaxaret. Partium tamen hac super re concedit deliberationi biennium, illo habiturus responsum finito, pacemque interea mandat utrinque colendam, hæc VIII. Octobris, ex delegata sibi decernens potestate.

Anno MCDLXI. Cum nuper generali Mantua in concilio, bellum fuisset decretum adversus Turcam, Pius II. emissis quaquaversum suis, per orbem quæstoribus Christianum, implorat auxilium. In Scondiam verò transmissus, Doctor Martinus à Fegreno, consensu regis Christierni, ex Dania colligit hoc anno subsidium, auxiliariis de thesauro liberaliter persolvens Apostolico.

Sed Christiernus anni primordio Hamburgi constitutus, XIV. Januarii, ab incolis, iisdem dominus urbis designatur conditionibus, quibus Ordines Holsatiæ, ipsum prius acceptarunt. Nec multò ante Gottorpii, Clero roborat Slesvicensi privilegia, sub protectionem admissò. Deinde argentum corrasurus, fratribus, & Schovenburgensium Comiti numerandum, Sueciam revisit, ubi suam questus hac in re penuriam, non modicum acquisivit auxilium, incipiens novis indigenas, & crebris emungere contributionibus, opulentioresque illorum, cogens insuper ad mutuandam sibi pecuniam, quorum nonnulli CC, alii CL, quidam C, & reliqui LXX. marcas illi dederunt mutuas.

Attamen his suam Christiernus peram inexplebilem, longè minùs quàm refertam animadvertens, & obscuro comperiens rumore, Dominicanos Stocholmiæ insignem Caroli, vel potius regni Suetici, thesaurum, clam sibi commissum, custodire, illos gravissimis compellit minis ad prodendum extemplò depositum, non paucis aureorum millibus æstimatum, quodque VII. inclusum vasis, mox in Daniam ablegatum. Ast plurimum adhuc vacui, pera continet insatiabilis; Ideoque alios æruscandi modos circumspiciens Christiernus, inprimis illorum plurimos acceptat nobulorum à Vastenensibus, quos Ericus rex quondam cœnobio, pro collegii donasset fundatione, non agrè à matertera Ingeburge antistita concessos, ad Græcas solvendo Calendas. Deinde Marino Pontificis legato, illà facit



lege potestatem colligendi porro suppetias, ut bonam sibi congestæ stipis portionem, contra Moschos schismaticos frequenter belligerato, deinceps tradere non recusaret. Tandem Sueonum quosdam factionis suspectos immeritò Carolinæ, statuit deglubendos.

Enimverò Archiepiscopus hoc illis falso crimen apud Regem impingens, quendam subornat Petrum Hettelos, se literas comminiscentem, his, à Carolo perscriptas tradidisse. Qui proinde ad carceres & torturas rapiuntur; ædes lustrantur; bona confiscantur; ac licet tam crudeliter torquerentur, ut eorum nonnulli exspirarent in cruciatu, tamen viri prorsus infantes, nullo animam mendacio macularunt. Quorum etiam Petrus ille postmodum innocentiam, & Archipræfulis palàm fassus est ingenuè malevolentiam.

Hanc propter Christiernus avaritiam & sævitiam, conceptâ de se probitatis opinione, prius apud Sueones denudatus, locupletior Daniam quidem repetit, non quietior. Inde VIII. Decembris, Vilhelmum Orchadensium Comitem, partibus Scoti clanculum faventem, citat Hafniam, ante XXIV. Junii, fidelitatis sibi juramentum præstiturum, vel feudo renunciaturum.

Hunc circiter annum mors litem Henrici & Marcelli, de insula dremmit Nidrosiensi, utrumque de vivis abripiens, quibus Olaus sufficitur.

Anno MCDLXII. Idem Scondiæ monarcha, validis suorum fretus regnorum armis, bellum vicinis intentat principibus & civitatibus. Enimverò insolentiam negotiatorum plexurus Vandalicorum, cum Germaniæ principibus Vilsnacum vocandis, in illos sædus decernit pangendum. Id autem mercatores colloquium prævenientes, Regem Hafniæ conveniunt, de hoc, & damnis expostulant illatis, ac tandem obtinent gratiam, veterumque confirmationem privilegiorum.

Deinde Georgio Bohemiæ, & Casimiro Poloniæ, Regibus, quòd Fredericum impugnarent affinem, Brandenburgensium Marchionem, minatus, spernitur. Hæc mense Martio, aſt sub Julii finem, socia jungit arma cum Bugislao Stetiniensium Duce, in Ericum, reliquæ dominum Pomeraniæ; Quoniam thesaurum ab Erico rege mortuo relictum, nollet restituere, de Scondia olim exportatum. Ac licet terrâ marique sæpius esset hac de causa Pomeranus postmodum impetitus; tamen ablata mordicis retinet ornamenta, & documenta.

Nec his Christiernus se bellis implicasse contentus, novum Bremensibus, adversus tyrannidem Gerhardi Oldenburgensium Comitis, meritò se opponentibus, XI. Novembris, denunciat, ignorans infortunium, quod suo domi nunc impenderet capiti. Verum Hamburgensibus adhuc amicus, à Pio II. impetrat facultatem, illic Ecclesiæ præsentandi Marianæ, Præpositum, quoties illud vacaret officium. Eadem quoque operâ obtinuit à Pontifice, Carmelitis proprium in Scondia Præpositum, qui prius auscultantes Priori Romæ de Saxia, illum crebris honorarunt muneribus, cum regni detrimento.

Rex itaque vicissim Pio gratificaturus, Marino ipsius legato, in Norvegia Sueciaque hoc anno feliciter æruscanti, sub præfata connivet conditione. Atqui cum monasterium in Finlandia Nadendalense, auxilio fundatorum & patronorum, Christophori regis, Senatus Suetici, & Magni XVII. Abogensium præfulis, qui summum Ecclesiæ chorum, sacrariumque suis fabricasset impensis, jam ad fastigium esset perductum, Conradus, provinciæ antistes, XIII. Augusti, præfente ordinis generali confessore Magno, cœnobitas utriusque sexus inauguratos, illic primum introduxerat. Carmelitarum verò claustrum Oerebrogiæ, munificentiam Reginæ Dorotheæ, arbitror hoc simul tempore constructum.



Anno MCDLXIII. Christiernus Sueciam invifens, novas illi contributiones imponit, quas Archiepifcopus, Rege in Finlandia adverfus Mofchum belligerante, collecturus, plebeculam Uplandiæ arma ideò certatim corripere, ac hujusmodi penitus abnuere census comperit. Proindè ipsam placaturus, donec Christiernus rediret, affenfu quorundam de Senatu Procerum, tempori, furorique cedendum plebis existimantium, tributa fuis relaxat literis. Sed indè ofores Christierni, & fautores Caroli, occasionem cupidè arripientes, Regem Archipræfuli exacerbandi, hunc tacitè vocant in fufpicionem affectati denuò regiminis; Quam Danorum quidam inmodicè augment, affirmando Suetici titulum Primatis, illum hac potiffimum de caufa, fibi nuper ufurpaffe, & famofis paffim libellis Stocholmiæ affixis, infontem prodicionis Antiftitem accusando.

Hinc Christiernus infortunio Caroli commotus, Joannem in confeflu aliquorum optimatum hujus fccleris incufat, acriter fe defendentem, ac nihilominus custodiae mancipatum, Stechenfiquè fpoliatum munitione. Verum Sueciæ populus, ob condonata fibi tributa, Præfulem intelligens captivatum, frequentiffimus confluit, Stocholmiam obfidet, capto pofcit libertatem, & telis undequaque impetit civitatem. Ideò fraudulentas dierum aliquot pactus cum rebellibus inducias Christiernus, ante finem illarum, nihil mali plebeculam fibi adhuc metuentem, invadit, & grandem illius stragem committit; ita urbem liberans, arcemque obfidione. Factum deinde fuum non folum apud regni Ordines excufat, quos ad comitia invitat fimul publicata, fed mense Augufto exeunte, Romam expedito legato, Archiepifcopum confpirationis infimulat, in honefta detinendum custodia, ob gravioris periculum tumultus, donec caufa in Sueonum effet conventu propediem ventilata & determinata. Quando ad Pontificem fe fpondet de negotio fcripturum univerfo, nec fecus in hoc facturum, quam Catholicum deceret principem, ac obedientem fedis Apoftolicæ filium.

Per feptembrem verò mensem, in ordinum Rex frequentia, difceptat cum Archiepifcopo, nulliusque convictum criminis, quòd nollet illum reftituere libertati, Præfules reliqui regnum interdicto fubjicere decreverunt. A quo tamen illos propofito Rex deterruit, quibusdam defatigatos in hac controverfia quæftionibus, quando licitè vel illicitè regni captivaretur Archiepifcopus, fubtiliter admodum indagantibus. Quocirca Christierno, quantum difcriminis liberatio captivi fecum allatura pro tempore videretur, demonftrante, custodiae affentiunt Sueones adhuc prorogationi, tamen ejusdem in Daniam reluctantes exportationi, & pro fratre illius Christierno, hujus etiam criminis fufpecto, XVIII. die Octobris, fidejubentes.

Catillus porrò Archipræfulis amitinus, ad fuam reverfus Epifcopam, cognofcit innocuum ex regno cognatum, in Daniam ablegandum, & diffuadet, pactum Christierno nuperum Stocholmiæ, Antiftitis innocentiam, inque ipfum benevolentiam revocans in memoriam, & pro captivo libertate donando XXIV. fruflrà offerens fponfores. Undè indigniffimum ratus, quòd innocentem regni primatem, diutiùs captivum Rex detineret, & fecum aveheret, Gothos Sueonesque fub figna convocat; Stocholmiam verfus his ftipatus properat; obvium Christierni exercitum profligat; ac fub Regiam progressus, Archiepifcopi liberationem flagitat; repulfamque paffus, pontem invadit borealem, infulasque vicinas; claffem Regis in fuos emiffam commilitones, repellit, primariam urbis portam adoriens. Illic propterea non confultum morari diutiùs Rex perpendens, cum Archipræfule, in naves quam occultiffimè deportato, Daniam verfus Novembri mense navigavit, & Catillus cum fuis mæftus cohortibus domum aliquantis per remeavit.

Interea fratres Christierni, Mauritius & Gerhardus, aliis utrinque



sibi principibus attractis, de hæreditario acriter depugnarunt Comitatu, ac tandem post multam ex utraque parte acceptam cladem, ita reconciliati, quod Gerharo cederet Oldenburgum; & Mauritio Delmenhorstium. Sed Christiernus, quod trientem prædii Vallesuensis, à Birgitta de Hammerstad emens, reliquum ad Birgittam Olai Axelii filiam spectans, sibi nullo jure simul usurparet, alteram diffensionis sementem cum Axelidum jecit familia. Grandis etiam inter Romanum & Lundensem, oritur Præsules discordia, quod ille vacantem Lundæ Præposituram, uni Cardinalium, & hic Johanni Bing, contulissent, asserens cum Præpositus Consistorii esset orator, & procurator, illi apud Metropolim, non Mantuæ, vel Romæ residendum esse, hortansque Pontificis Candidatum, Franciscum Gonzagæ, ad renunciandum officio, XL. solum in annuis redditibus, obtinenti florenos.

Marinus quoque Nuncius Pontificis, brumæ sub initium, ex Sueonia Lubecum proficiscitur, non minimâ prius stipis collectæ Christierno, & Joanni Uplandiæ præfulti, pro construendo Upsaliæ ligneo quodam castro, relictâ portione, hæcque regio etiam cessit fisco, post Antistitis captivationem. Lubecæ verò Marinus, 4260. aureos uni civium commisit servandos, quos Henricus Megapolensium princeps, sibi vendicavit, & reliquum in Scandia conflati argenti, Norenbergam versus expediti, interceperunt hostes Lunenburgensium; Ita Marinus oleum & operam perdidit, qui deinceps Caminensium in Pomerania evasit Antistes. Nec ille solum corrasit argentum & aurum in Suecia; Sed etiam vetustissimos quosdam codices, quos Gothi, Româ olim direptâ, in suam huc pertulissent patriam. Demum Pons hoc anno Bergæ in Norvegia negotiatorum ditissimus Vandalicorum, fortuito crematur incendio, ac elegantior multo illic mox fabricatur.

Anno MCDLXIV. Catillus, Ostrogothiæ Præsul, cum frustra Christiernum literis hortatus esset, ad donandum pristinâ Archiepiscopum libertate, intra spacium V. hebdomadarum, ita sibi morigeros habiturus Sueones, nunc consilio cum agnatis & cognatis inito, Regi his de causis, nomine ordinum Suevicorum, omnem renunciat obedientiam. Inprimis, quod juri Sueonum in Gotlandiam, non satisfacisset, alienigenis administrationem commisisset præfecturarum; per illos gubernasset tyrannos regnum absens; indigenis justitiam non administrasset; insontes crudeliter tortos optimates, vitâ, bonisque spoliasset; intolerabilibus incolas tributis, quibus Holfariam Danis comparavit, onerasset; & innocentem abduxisset in Daniam regni Metropolitanum. Quamobrem illi bellum denunciât gubernator Sueonum designatus; infulam galea permutat; census clementer levat; Arosiam subjugat; arcem expugnat Stechensem, & civitatem milite circumdat Stocholmensem.

Quando verò inaudiens Regem ex Dania cum exercitu adventare, in Ostrogothiam remeat, illic Christiernum profligaturus, qui clam Antistitis prætergressus castra, festinat Stocholmiam, ut inopinatè plebeculam opprimeret obsidentem. Quæ periculi admonita, pridè, quam Rex adveniret, inde profugit, & Christiernus Stocholmiæ ac Upsaliæ festo Paschatis transacto, Arosiam infestat. Sed Catillus interim Dalecarlos Montanosque, contra Regem produxit, quos ille sibi obvios sub Heraker, in fugam conjecit, V. signis hosti ablatis, & victor insequens, in nemore vincitur Hellenfi. Quem Catillus vicissim fugans Arosiam versus, illic sub finem Aprilis, tanta afficit ipsum strage, ut Stocholmiam reversus, adversario non auderet amplius congregari.

Catillus itaque victoriam prosequens, Regem binis obsidet castris, in quibus invalescenti plebeculæ assentiens clamori, de Carolo in Sueciam quan-



quantocyus revocando, ex colloquio Sigtoniæ, cum suis hac super re habito sectatoribus, literis ipsum advocavit.

Indè Arosiam æger relatus prænobilis vir, Nicolaus Christierni, arcis hujus præses, & Catilli patruus, mox animam exhalavit, plurimumque Christiernum recreavit, qui castro se potiturum confidens, suum illuc Turonem, cum aliquot destinat liburnis probè armatis. Sed is descensu ibidem prohibitus, flammis Arbogiæ subditis, Stocholmiam cum trepidatione repetit. Quem Catillus redeuntem aggressus, VII. illi celoces eripit, copiisque affatim exhaurit, ac Regiam ternis impugnat castris, Danos subindè erumpentes, malè exceptos remittens.

Undè Christiernus victoriæ diffusus, mensè Junio urbem arcemque obfirmat, & XXIV. navium classe Daniam versus navigat. Quem hostis in faucibus maris invadens, uno spoliat navigio, ac vexillo Daniæ prætorio, quod in castra sub Stocholmiam perlatum, in clivo Brunconis, ex oppositu acropolis, ostentavit. Deindè hortatus est regni Consiliarios, aliosque Sueonum, in civitate delitescens, ut, perfidissimo rege deserto, in patriæ simul conspirarent libertatem.

Interim alius Pontificis legatus Scondiam hoc anno ingressus, non argentum, sed homines in militiam congregat, multas deferens indulgentias, adversus Turcam belligerare volentibus, grandemque spontaneorum turbam militum hic, & in Vandalicis obtinens urbibus, quæ Pio II. morte sublato, domum, re infectâ, dilabitur. Olaus verò Roschildensium Episcopus, basilicam post incendium eleganter restauratam, turri præcellâ, picturisque ornatam, denuò inauguravit. Verum Magnus, Ottoniensium Præsul, cænobium illic S. Canuti, ædificiis ac pulpitis decoratum, sumptuosè consummavit. Quibus Christiernus, his relictis, cedere nolens operibus, Roschildiæ pro sua, uxoris, & Majorum faute, sacellum fabricat trium Regum, bonisque ornat liberalissimè.

Carolus autem hoc temporis intervallo, acceptis fautorum literis, non ægrè subsidium à Polono & Dantiscanis, quibus vicissim eximium promisit in Sueoniâ privilegium, impetravit. Et Augusto mensè sub Stocholmiam cum mediocri delatus exercitu, in absentia Catilli, à reliquis capitaneis, plebecula, & civibus, pro Rege suscipitur; in civitatem honorificè deducitur; atque cum Ordinibus de jure ac justitiâ cuique administrandis, sanctè paciscitur. Acropolim tamen à Danis sub præsidio defensam Turonis, non obtinuit; in ædibus Monetarii, paucis antè diebus mortui, diversans. Audito etiam Caroli adventu, Petrus Laurentii, primarius depositi apud Dominicanos thesauri custos, sibi malè conscius, expiravit.

Habuit in castris illic non paucos Danicorum Catillus procerum, hoc bello captivos, pro quibus liberandis, Archiepiscopi liberationem, vel tolerabiliori pacem conditione, aut permagnùm se lytrum confidebat adepturum, velut etiam pro insignibus aliquot hostium navigiis, hoc tumultu occupatis, insigne præcium. Atqui captivorum unus fuerat Caroli fororius, Claudius Ronnou, Daniæ Marschalcus, homo versutissimus, qui blanditiis Regem aggressus, sibi & sociis obtinet libertatem ac potestatem redeundi, promittens ipsum & Christiernum inter, se pacem certo certius restitutum. Quâ insuper Carolus fiducia planè infatuatus, naves illi simul resignat, & Catillus in Vestrogothiâ hostium irruptionibus intentus avertendis, ubi Regis inaudiverat adventum, non segnis Stocholmiam advolat, cum illo de tantâ vehementer exostulans stoliditate, ac Danos in faucibus adhuc maris hærentes, per vim revocans.

Verum & ipse tandem seductus ab iisdem, Archipræsuli libertatem;



tem; Sueonibus pacem, & veniam sibi gratiamque pollicentibus mellifluam, non solum liberationi eorundem subscripsit; sed etiam Christierno perscripsit, illi regnum promittens, in quo aliquam Carolus saltem esset habiturus ditionem, si Joannem cum honore in patriam remittere non dedignaretur. Quocirca Christiernus ista lubenter ex reducibus cognoscens, ipsorum consilio morem gerit; Joannem de custodia producit, XIII. Septembris; excessus confitenti quosdam, veniamque poscenti, & æternam spondenti fidelitatem, sponsoresque ac literas his de rebus offerenti, familiariter condonat; magnificè tractat, munificè donat, Proregem in Suecia ordinat; arces illi pandere Sueticas mandat; offensas Sueonibus condonat; atque post VII. Novembris diem, regio stipatum milite in patriam ablegat, in qua illum cum Carolo, propter ignatum utrinque odium, non diu pacificè moraturum præsciverat.

Adveniens in confinio regnorum, honorificè suscipitur à Catillo, fratribus, agnatis, cognatis, & amicis, Upsaliamque perductus, suis quaquaversum emissis per regnum servitoribus ac fautoribus, populum sibi conciliat; se regni principem nuncupat; tributa relaxat, Christiernum simulatè abjurat; Carolum repudiat, unâ Finlandiæ provinciâ duntaxat fruiturum; quaternos Sueciæ ac Gothiæ deputat gubernatores; Præfectos Caroli captivat, & militem congregat. His Carolus non immeritò indignatus, fraudes Archiepiscopi, publicatis passim literis detigit; Parochis illas promulgare abnuentibus, propter inhibitionem præfulis, vitæ ac bonorum interminans amissionem; & cum nihilominus factiones adversariorum caperent incrementum, fidelissimum sibi Boëtium Dyre, copiis succurrere, in ipsos immisit, & non incruentam Upsaliæ, XIII. Decembris, utrinque pugnam nox diremit. Sequenti autem die paciscuntur inducias, ad VI. Januarii prorogandas, quibus fretus Boëtius, dimisit militem, & cum paucis inde pergens comitibus Stocholmiam, per summam à Catillo perfidiam in viâ impugnatur, & à Joanne protinùs excommunicatur. Quam vetat Carolus Parochis sententiam promulgare, illam contendens inanem, cum ab Antistite, omnibus Ecclesiæ censuris involuto, esset prolata.

Anno MCDLXV. Joannes, & Catillus, XIII. Januarii, Carolum Stocholmiæ tribus obsident castris, & postridiè Turo clanculum admonitus, ex castro civitatem invadit; Ivarus Gren monachorum, & Ericus Nicolai, S. Spiritus, occuparunt insulas. Sed dum Ericus fert Grenio subsidium contra Boëtium Dyre, inprimis hæc à civibus, & illa deinceps recuperantur insulæ, Turoque cum suis in arcem fugatur præfidiariis. Postea inducias per octiduum cum Rege pacti, acceptis obsidibus, cum illo in urbe colloquuntur, per Catillum & Ivarum, ipsi persuadentes, ut Abogia & Rasborgo, Bothniæque contentus orientali, regno se abdicaret, quod pacificè illud, propter æmulum potentiam, non posset gubernare. Verum quando super his codicilli conficerentur utrinque, cognoscit Rex Dalecarlos sibi adventare subsidio, & transactione desertâ, post finem induciarum, XXIII. Januarii, hostem à tergo statuit invadere, à quo ita exceptus adverso, ut multis suorum desideratis, urbem trepidus cum reliquis repeteret.

Nec tamen Carolus animo dejectus, Dalecarlos expectat, quâ ipsum spe Catillus frustraturus, illis obviam progreditur, & verbis ac verberibus domum cogit remeare. In Catilli vero absentia, quidam alius plebis exercitus, Archiepiscopo sub Stocholmiâ congressus, infert, refertque detrimenta, & tandem reditu Dalecarlorum cognito, de Caroli desperans successu, cum adversariis reconciliatur. Quibus etiam de causis tan-



tandem Rex vitam, libertatem, & Rasborgum cum ditione subjectâ, ab eisdem precariò impetrare cogebatur, se omni abdicans in regnum Sueciæ jurisdictione, ac in Finlandiam commigrans. Atqui Carolus Rasburgo, per Conradum provinciæ Antistitem, Christierni fautorem, diu sibi denegato, in Dominicanorum Abogiæ cœnobio, tantâ cum inopiâ rerum, sequentem transegit ætatem, ut L. marcas denariorum cuidam suorum creditorum non esset solvendo, qui suâ quondam opulentiâ, nè quidem Cræso cedere videretur locupletissimo!

Sic Catillus urbe & arce potitus Stocholmensium, aliquot secundum Pascha septimanis, utramque assignavit Archipræsuli, pandendam illi, quem Sueones deinceps Regem concordibus elegissent suffragiis. Joanni postmodum in Senatus confessu conquerenti, de permagnis sibi, & Ecclesiæ damnis sub nupero illatis tumultu, Stechenfis præfectura, ac civitas Upsalensis, cum regio in has jure universo, jugiter possidendæ assignantur.

Cæterum Christiernus non ignarus, pro suo rem in Sueciâ voto dispositam, illuc maritimam parat expeditionem; prius tamen ducens consultum se, ac fratres, Bremensibus reconciliandos, cum iis redeunt in gratiam, festo ascendentis in cœlum Salvatoris. Gerhardus autem hoc perfunctus bello, in absentia Christierni fratris, Holsatiæ proceribus molestiam faceffit, quòd necdum sua in hanc provinciam jurisdictione, promisso esset auro integrè redempta. Ideò Christiernus intermissa in Sueciam profectio, cum fratre indicit colloquium, in quo adhuc XL. florenorum millia, Germanis addicit, & Sueciæ Primatem ad conservandam sibi fidelitatem pellicit. Etsi calcaribus hâc in re opus non haberet, plus æquo decurrens hoc stadium, adeò quòd VIII. Septembris, populus in nudinis Arosiensium, palam ipsum, velut Danicæ factionis complicem, fuerit execratus, hancque protinùs Stocholmiæ suspicionem jurejurando, & literis à se nequicquam conatur derivare.

Danus proindè novum in Sueones sibi auxilium provifurus, veterem, III. Octobris die, Hamburgi litem cum Edvardo, Anglorum Rege, componit, dato & accepto illic promisso de suppetiis in hostes ferendis. Sed conjux Christierni Dorothea, cum vidua Comitis Adolphi, in patriam remigratura Thuringiam, sic transegit, ut Rendersborgum sibi usurparet, annuatim VIII. millibus illi marcarum numeratis, ita promissam huic dotem persolvens. Christiernus etiam probaturus, XXX. millia florenorum, Regi Christophero in dotem cum Dorothea, fuisse deputata, & nondum numerata, jure à leviris extorturus, testes hujus promissi undequaque conquirat.

Anno MCDLXVI. mense Januario, Jenecopiæ, Sueones cum Danis ex machinatione Christierni & Joannis congressi, post aliquot dierum altercationes, initio Februarij, solum unioni regnorum subscribunt, & liberæ utrobique negotiationi, conventusque Halmstadii ad XXIX. Julii diem celebrationi. Hoc itaque posito fundamento, neminem Christierni obfuturum restitutioni, præter Nicolaum Sture, animadvertens Joannes, ipsum fortè captivandum, ad se vocavit. Id Nicolaus submetuens, ad suum in Finlandiam secessit affinem, Ericum Axelij, Caroli Regis sororium, arcis Viborgensis & Nycopensis Castellani, injurias sibi ab Archipræsule illatas conquesturus. Joannes interim Nicolai abitum ignorans, L. suorum expedit satellitem, ad prædium illius Penningbygense, vi adversarium adducturos, qui ipso non invento, ædes absentis opibus spoliaverunt. De hâc verò præsulis insolentiâ, Nicolaus socio Erico in



Sueoniam regressus, cum illo Stockholmia graviter exoptulavit; culpam à se factionis derivavit, & solum minas reportavit.

Deinde proceres regni, cum reliquis Ordinibus, responsum Danis Halmstadii propediem referendum maturaturi, conventum Telgæ frequentes adeunt, ubi mortem nuper defuncti gubernatoris Catilli cognoscetes, orbem Reipublicæ gubernaculum Joanni commendarunt, nec constat quid Danis responderint; liquet autem in Daniâ scintillas belli civilis emicare cœpisse. Nam Ivarus Axellii, post obitum fratris Olai, Gotlandiæ nactus dominium, suscepit & tutelam liberorum minorennium, Philippo fratre altero nuper mortuo genitorum, & quod pupillis Christiernus feudum Tranecherrense, pignori olim positum, non soluto eripuisset argento, tutor Ivarus se Regi audacter opposuit, fundum reposcens sublatum, ac demum prospiciens litem armis dirimendam, cum Sueonibus Christierni adversariis fœdus in ipsum statuit pangendum. Quod matrimonio cum Magdalenâ Caroli filiâ contrahendo, prudenter auspicator, ipsam sibi nunc viduo deposcit conjugem, fratrisque patrocínio Erici, consensum obtinet Caroli, hâc vicissim affinitate non Gotlandiam modò, sed & Sueciam sibi universam, restitutum iri confidentis.

Proinde solennitas nuptiarum apparatus Nycopiæ, quò sponsa per Ericum Axellii, & Joannem Christierni, affines, Rasburgo, non comitante parente, perducitur. Ast Nicolaus Sture, tertius itineris comes, infidias formidans nunc minùs Archiepiscopi, vindictamque injuriæ meditans, Gevaliam ex itinere divertit, ubi capto Joannis præfecto, Episcopium diripit, aurum, equos, & arma indè mediocriter congerit, atque resciscens turmam equitum ad se capiendum emissam, profugit in Dalecarliam, persuasum incolis Caroli revocationem.

Nec eidem indormiunt negotio convivæ Nycopenses, Ivarus, Ericus, Johannes, Steno Sture, & Gustavus Caroli, aliique Carolo faventes. Qui mense Septembri nuptiis peractis, illic Archiepiscopum Christierno adhærentem, decernunt officio exuendum, & mox Stocholmiæ profecti, clavum ipsi extorquent, invito commissum Erico Axellii. Undè Christiernus domi & foris rebus suis formidans, nè pluribus simul hostium armis impetitus, obrueretur, fratrem pacat inprimis Gerhardum, ipsius solutioni quadriennales ex Holfatiâ & Stormariâ redditus assignans. Postèa Cæsare arbitro, ille ac Brandenburgensium Marchio, cum Georgio Bohemiæ, atque Casimiro Poloniae, Regibus, hujus etiam filiâ in uxorem filio suo Johanni postulatâ, veterem renovarunt amicitiam, & novam cum Francisco Britannia, Carolo Burgundiæ, ac Normanniæ, Principibus, sequenti anno inchoarunt, subsidia in hostes allaturam.

Hactenus Vallensium & Montanorum Nicolaus Sture vires ac viros sub signa collectos, in obsidionem modò adducit castrum Arosiensis, quod Ericus Nicolai Præses, Nicolai territus adventu, deserit, & Oerebrogiam profugit. Illic verò Nericianis ac Vermelandis ad bellum vocatis, cum ipsis Arosiam versus properat, Kolenique in viâ ponte projecto, Nicolaum ex alia fluminis parte obvium, non impunè telis lacessit. Sed hunc Gubernator tumultum sedaturus, cum suis advolat copiis, & Arosiâ Nicolao deputatâ, Erico autem Oerebrogiâ, diremit pro tempore controversiam. Archipræsuli tamen non satisfaciens, qui Carolinorum offensus successu, Stocholmiâ cum indignatione maxima, ad castrum secessit Stechense.

Anno MCDLXVII. Christiernus, V. Januarij, suos in Flandriam expe-



expedit Legatos, foedus cum Carolo Normannia, Francisco Britannia, & Carolo Burgundia, Ducibus, depactum. Sed Archiepiscopus Sueciae, praetextu peregrinationis Vastenum instituendae, initio quoque anni, Ostrogothiam adiit, indeque Regem Daniae invicens, poscit auxilium in adversarios. Interim vero patruelis, & amicus Praefulis, Ericus Nicolai, ac Ericus Caroli, aemulis domi sese opposituri, sextam ante Pascha hebdomade, in nundinis sibi plebeculam conciliant Stregnefibus. Qua cum inde profecti Arbogiam, servitores illic captivant Nicolai Sture, hincque Stocholmiam properantes, regni Gubernatorem obsidione ligarunt; Quam tamen, verbis placati, mox solverunt, & militem Nicolai Sture, in Heltingia oppresserunt, CC. ex illo captivatis.

Principio autem veris, Archipraeful copiis stipatus Danorum, sub Stocholmiam movet, & Ivarus a fratre vocatus in subsidium, advolat ex Gotlandia, inque Nericia congressus Erico Nicolai, ipsum profligat. Quando etiam Nicolaus & Steno Sturii, cum MCCC. advenientes Dalecarlis, Ericum Caroli, hominum millibus succinctum, in fugam compellunt; Uplandia persuadent incolis Caroli revocationem, ac consensu Gubernatoris, fratrisque Jvari non invito, per Faderum Ulphonis, & Gregorium Mathiae, in Finlandiam transmissos, Carolum invitant ad thronum. Itaque Archiepiscopus, praefata suorum clade duplici, simulque reditu Caroli percussus, obsidionem deserit Stocholmensem, & Calmarniam reversus, suum Erico Caroli tradit militem, ut illo Upsalensis Clerum dioecesis, ab hostium defenderet incursionibus, Carolique poneret obstaculum praecipue successibus. Attamen cogitur ille deinceps, Christierno repudiato, in verba Caroli jurare. Verum Johannes solitariam impofterum acturus vitam, Calmarniam secessit in Oelandiam.

Tam prospero contra Danos in Suecia successu, Ivarus Axelii plurimum animatus, Sueonumque subsidio elatus, Christierno feudis liberos fratris spolianti, bellum audacter denunciat, & omnem ipsi obedientiam renunciat.

Hinc Danus Solsburgum, & aliam Ivari munitionem, suscepit impugnandas, illudque deditum, X. Septembris, obtinet. Prius autem, XII. Julii, ex castris orat per literas Ludovicum, patriarcham Antiochenum, in Poloniam expeditum a Caesare Legatum, ut suaderet Casimiro, ne Sueonibus Dantisco aliquas permetteret impofterum suppetias, ipsumque invitaret Ludovicum in Scondiam, suas cum adversariis controversias decisurum. Atqui X. Augusti, cum Normanno, Burgundione, ac Britanno, pactum inivit Christiernus, de libera subditorum utrinque negotiatione, ac mutui in hostes subsidii communicatione.

Quorum unus Christierno accessit ideò nunc Anglorum Rex, quod Londinensium quidam mercatorum, Regis in Islandia praefectum trucidassent; merces diripuissent; & census collegissent. Scotorum etiam Rex, Danis ea de causa hostis fuit reputatus, quod sineret Scotis opem Comiti ferre Orchadensium, nullo jure praefulem insulae Vilhelmum captivanti. Unde Scotum literis Christiernus hortatur, ad ferendum capto auxilium, non capienti, alias armis impetendum.

Gerhardus quoque Comes Oldenburgensium, se Christierno fratri elanculum opposuit, Ducatum machinans Slesvicensem Danis subducere. Huic itaque molitioni Rex occursurus, dolo germanum captivat Segebergae, & ablatas recuperat deinceps munitiones, fratremque anno



sequenti, XXV. Februarij, pristinâ donat libertate, captivationis molestias condonantem, atque debito sibi argento percepto, Ducatu se abdicantem.

Hactenus se reditui Carolus Rasborgi accinxit, jamque ad illum paratus, Stocholmiam navigat, quam attigit XII. Novembris, ac illic maximo incolarum & accolarum susceptus gaudio, regnum oblustrat; præstat Ordinibus, & acceptat juramenta; Sueciam ac Gothiam recuperat universas, præter Calmarniam ac Oelandiam; adversarios sibi reconciliat; & Christierno Benedicti in Oelandiam destinato, Archiepiscopum frustra invitât ad amicitiam; ubi tandem ille, Decembri mense, in odio Caroli miseram efflavit animam, & in vicina Borcholmio Ecclesiâ, quinquennio remansit funus insepultum.

Cives hoc anno Vastenenses, à cænobitis obtinent facultatem, vallo, fossâ, & mœnibus suam obmuniendi urbem, pro ædificatione ac defensione conservationeque, subsidium à Brigittinis aliquod habituri.

Anno MCDLXVIII. Christiernus literis ad Casimirum Poloniae Regem datis, obsecrat, ne Carolo vel Ivaro, ullum permetteret comœtatum in Sueciam, aut Gotlandiam, ex suis importari ditionibus. Legatis etiam in Scotiam missis, flagitat, nè solutio pensionis de Sudorensium & Manerensium insulis debitæ, prorogaretur diutius. Atque cum Scotus pro hujus discussione negotii, colloquium inter suos & Danorum Proceres desideraret, illud approbat Danus, XXV. Julii, Hafniæ frequentandum, ac excusationem Comitum Orchadensium, pro tempore citationi obtemperare nequeuntis, à Jacobo simul productam, admittit, Calendis Majis.

Verùm mense Februario, Ivarus arci laturus opem Lilloedensi, annuâ hactenus obsidione per Turonem Turonis, & Magnum Gren, mandato Christierni divexatæ, ab his permovetur ad amicam, armis depositis, transactionem. Ad similem quoque traducturus dissidii compositionem ipsemet Carolum Christiernus, Turonem protinùs in Sueoniam ablegat, ubi quatrinduo ante Pascha, conventus inter Sueones & Danos, XXIX. Julii, obeundus Halmstadii decernitur, deque illius processu, XXIV. Junii, Sueonum aliqui cum Danis ibidem congressi, deliberarunt. Sed interim in Daniam advenit Ludovicus Antiochenorum patriarcha, vocatus à Christierno, qui pro Regis voto Sueonum primarios, & nominatim Svantonem Sture, Castellatum Oerebrogensem, XII. Junii, citavit peremptoriè, XXII. Julii, Calmarniæ, coram suo comparituros & responsuros tribunali.

Obtenderat autem Ludovicus, se destinatum à Pontifice ac Imperatore, dissentientes Europæ Principes reconciliatum, ut horum simul armis Pontifex & Cæsar deinceps adjuti, Saracenos ex Palæstinâ facilius profligarent, in quos pro tempore bellum molirentur. Atqui Carolus, & Sueonum reliqui, ipsum Danis faventem, pro legitimo non agnoscentes judice; velut etiam hâc Christierni versutiâ & inconstantiâ plurimum offensi, nec XXIV Junii die, Halmstadii, nec XXII. Julii, Calmarniæ, dignantur comparere, intereâ Finlandos à Conrado præfule ad partes seductos Danorum, Carolo subjugare conantes. Hinc Christiernus vehementer indignatus, publicatis literis, queritur de Sueonibus, & terrâ marique ipsos infestat, simulque Anglos, propter cladem Islandis nuper illatam, quatuor illorum naves mercibus plenas in freto detinens Cimbrico, ac cum Edvardo Rege per literas graviter expostulans.

Edvardus verò, qui hâc submiserat æstate Christierno Sueones impugnaturus, navem actuariam, ad bellum instructissimam, non tam Danis quam Germanis urbium Vandalicarum negotiatoribus, suorum per mare Bal-



Balticum navigationi, mercationique jugiter invidentibus, interceptorum imputans culpam navigiorum, in Angliâ vicissim detinet illorum onerarias, nequicquam Dano ipsos excufante. Itaque mercatores & Dani conjunctis armis Anglum impetunt aliquandiu, donec horum pertæsi, bimas cum illo facerent inducias, interea temporis commoda pacis diuturnæ circumspeturi adminicula.

Sueones quoque, etsi nupero à Danis bello afflicti essent, tamen pacis amore diem Halmstadii, XXIX. Julii, condictum accedunt, ubi mense Augusto, alius ad diem XXIV. Junii sequentis anni, concluditur ibidem habendus conventus, dummodò Rex uterque ante VIII. Septembris diem, huic præberet assensum. Proindè Christiernus à suis Halmstadio reversis, de novo informatus colloquio, conditionibus sibi admodum proficuis sancito, Hafniæ XXIV. Augusti, promptus illi subscripsit. Deinde actionem cum Scoti Legatis aliquot hætenus septimanis habitam, & nunc tantisper intermissam, repetit, quæ VIII. Septembris, illum sortita exitum, quòd Jacobus III. Scotorum Rex, Margaretam Christierni filiam ducturus esset conjugem, & cum illâ dotis nomine, præter memoratæ condonationem pensionis perpetuam, percepturus LX. millia florenorum, X. quidè millia, quàm primùm nuptiæ forent peractæ, accipiendo, & pro residuis L. millibus aureorum, Orchades in pignus, donec persolvantur, suscipiendo. Ita Norvegi Sudorenses, Manerenses, & Orchades, bellissimas amiserunt insulas, multo suorum sanguine Majorum quondam occupatas, ac multis conservatas seculis, idque culpâ Christierni, qui suo aliud spondit incolis juramento.

Idem Sueci dispendium suis timentes insulis & provinciis à Christierno irrogandum, ac Halmstadii colloquium conditione tali averfantes, omnem cum Dano repudiant transactionem, frequentesque admodum comitati Regem, mense Novembri, Vestrogotos Christierni fautores, armis pervadunt; Axevaldium obsident, & Carolo per Vermelandiam reverso in Uplandiam, Verenniam atque Hallandiam incurfant. Sed Dani victores inde regressos, & diverso itinere dispersos, in quodam aggressi nemore, cladibus afficiunt horrendis, & tandem obsidio liberant Axevaldium.

Anno MCDLXIX. Christiernus, XX. Januarii, questus apud Casimirum Poloniae Regem de Carolo, quòd thronum Sueciæ paucos ante annos jurejurando resignatum invasisset, & quosdam sibi attraxisset Danorum Proceres, orat nè his aliquid patiretur subsidii ex Prussia perferri. Aliis deinde literis Carolo directis, novum obtinet conventum Halmstadii, in quo sua cum illo discordia duodecimvirali submissa est judicio. Cum Edwardo autem Rege Anglorum, per tertias pepigit literas, & Legatos, illas duorum annorum inducias. Verùm Ordo Nobilium in Holsatiâ, nec cum ipso, nec fratre admodum benè contentus, principio Maji, fœdus in oppressores, & suæ violatores libertatis, contraxit.

Quod non magnoperè formidans Christiernus, Hafniæ Scotorum Legatos, pro filiâ missos abducendâ, hilariter liberaliterque excepit. Quibus illa X. millia florenorum poscentibus, bina saltem numeravit, & pro reliquis VIII. millibus aureorum, Hetlandiam Norvegiæ insulam, oppigneravit, quam Scotus cum Orchardibus esset possessurus, donec LVIII. millia florenorum, sibi vel hæredibus persolverentur. His in Daniâ, XXVIII. Maji, consummatis, Legati cum Margaretâ in Scotiam festinant, Edenburgi, X. Julii, sponso copulatâ.

Post Christiernus ad sacra conversus, S. Birgittæ construit cœnobium, in villâ Sebygenfi, Mariestedianum, & alterum S. Francisco, sub Odenslebia Jutiæ, quod tamen se inconsulto in urbem deindè translatum, cum



incommodo parochi, mandat demoliri. Sed Franciscanos Ottoniæ, non satis rigidam agentes vitam, destinato Romam Laurentio Brendero, impetrat reformandos. Carolus etiam in Sueoniâ sacris deditus, mortuo Joanni Upsalensium Præfuli, Tordonem Lincopensem Decanum, conatur subrogare. Ast ipsi prævalet Jacobus Ulphonius, Canonicus Upsalensis, per Stenonem Sture in literis Romæ diu alitus, vir prudentiâ & scientiâ clarissimus, à Paulo II. designationis suæ impetrans, XVIII. Maji, confirmationem, & Decembri mense, inaugurationem, in sacello Romæ Briggittino, à Simone Antibatensium impertitam Archiflamine, astantibus Benedicto Melitenfi, ac Nicolao Varmienfi, Præsulibus. Frustrâ verò huic M. Jacobi se opposuit promotioni Carolus, quibusdam de causis illi suboffensus, morsque Regis, & Tordonis competitoris, novo Archiepiscopo aditum in patriam anno sequenti patefecerunt.

Ludechinus porrò Arosiensium Antistes, de sacris ex officio sollicitus, suæ basilicam cathedræ profectò eleganter restauravit, emissisque per diocesin quæstoribus, MLX. annorum indulgentias, manus huic fabricæ liberales porrigentibus, concessit; cujus encænia Ecclesiæ quotannis, XVI. Augusti, olim celebrabantur. Sed nunc à sacris ad profana reversus, comperio Christiernum sub finem hujus mensis, Lubecensium implorasse operam, & impetrasse, in dirimendâ lite Sveo-Danicâ. Istoque in negotio ut sibi fidiiores redderet ipsos, vetera iis debita solvissè, ac damnis quibuslibet satisfecissè, Chilone oppido, hypothecæ loco Lubecensibus assignato, perhibetur.

Qui proindè Regis voto responsuri, Sueonibus se præbent controversiæ cum Danis sequestros, & persuadent super eâ conventum in suâ frequentandum civitate. Ab his igitur seducti Sueones, causam illorum submittere judicio constituunt, deque ipsa porrò consultaturi, comitia Vasteni indicta, frequentes accedunt, doli ab adversariis structi, prorsus ignari. Etenim subornatus à Danis Ericus Caroli, Magdalenam Regis filiam, Ivari conjugem, aliosque nonnullos regni optimates ibi confluentes captivat. Et has Carolus insidias Vasteno propinquus, cognoscens, Stocholmiam remeat. Ubi nihilominus tamen alio cum Ordinibus colloquio instituto, captis obtinet libertatem, ac Legatos expedit Lubecum, quos illic Christiernus, mense Septembri, hanc propter fraudem tardiùs advenientes, per octiduum expectavit.

Urgebat hic Danus vehementer, ut Carolo repudiato, penitusque eliminato, se Sueones reciperent, & repulsam meritò passus, contra ipsos, X. Octobris, cum Lubecensibus, Hamburgensibus, & Holsatis, confederatur. Ac illos sibi magis demeriturus, Chilonem ipsis urbem, pro XXVI. millibus & LXXXV. marcis vendit Lubecanis. Demum suis in Sueciâ fautoribus arma capescere mandat, quorum antesignanus Ericus Caroli, Uplandiam infestat; regias sub Arbogiâ copias sibi obvias profligat; urbem diripit; Arosiam impugnat, & Upsaliam cum reliquâ exercitus parte profectus, literis affixis, Carolo, velut perjuro, derogat regiam auctoritatem, ipsam sibi vendicans; tributa levat; plebeculam sibi aggregat, & Claudium Olai, centurionem Regis, in Roslagiâ cogendo militi intentum, captivat.

Quocircâ tanto Carolus hosti fortiorem oppositurus exercitum, Dalecarlos per Nicolaum Sture advocat, & per Stenonem Sture, suâ genitum sorore, Sudermannos cogit quantocyùs sub signa; Qui hostibus Arosiâ pulsus, dum Erico congregi meditatur, cognoscit suorum factiones, & ad Nicolaum subito profugit. Hujus ignari fugæ Arosienses præsidarii, in Ericum temerè prorumpunt, quibus non difficulter profligatis, multi-



multiplici intumescit ille victoriâ, Dano, vel sibimet potius ipsi thronum Sueciæ, certo certius promittens, istâque uxorem, scriptis ad eam sub finem anni literis, spe demulcens inani.

Anno MCDLXX. Stenone & Nicolao grandes Dalecarlorum cohortes adducentibus, Ericus Caroli cum XXX. millibus hominum audacter procedit obviam, à Stenone tamen cum D. militibus præmissis, inprimis sub Henemora, XIII. Januarii, ac deindè à toto Nicolai ipsum persequentis exercitu, ad trajectum Uphogensæ tantâ profligatus clade, ut commilitonum plerique ceciderint; superstites verò imbellibus etiam fœminis, se vincendos præbuerint, quos inter fuit Gôdica Varg, Norvegus; Atque præter alias non parvæ manubias æstimationis, victores XI. millia, & D. hostibus, abstulerunt loricas. Sed ipsemet Ericus cum primariis elapsus, ut securior ex Sueciâ transfret in Daniam, Arosiâ publicatis per regnum literis, sibi falsò victoriam arrogat, & Calmarniam festinus properat; Sectatores tamen bini Nycopiæ, Christiernus & Davidus Benedicti fratres, detinentur. Verum totidem proceres Norici, Lincopiæ intercepti, destinantur Stocholmiam, quos illic Carolus, cum Gædica, & nonnullis rusticorum tumultus antesignanis, promerito curat supplicio afficiendos.

Christiernus autem suorum vindicaturus cædem, protinùs ex suafu profugorum, Vestrogothiam Sueciæ cum multis invadit copiis, quarum pars una impugnat Oerestenum, & alterâ Christiernus stipatus, iter continuat. Atqui hostibus Steno & Nicolaus, in quibusdam viæ angustiis congressi, non minorem quàm priùs reportarunt victoriam, & ipsemet Christiernus, vulnere accepto, trepidâ Hallandiam repetit fugâ. Sturii deindè gemino conspicui trophæo, adversariis ubique formidabiles evadunt, quibus insuper Ringstaholmium eripiunt, & Calmarniam milite circumdant. Interim Carolus Stocholmiæ delitescens, in morbum incidit lethalem, mortique vicinus, ut nothum, insigni juvenem indole, Canutum, ad thronum Sueciæ promoveret, ejus matri concubinæ suæ matrimonio se copulari permisit. Sed voto nihilominus apud regni Senatam frustratus, Stenoni advocato sororis filio, flagitat, ut patriæ traderent igitur gubernaculum, & XV. Maji de vita migrat nimis inquieta, animæ in cœlo, & corporis in cœnobio Stocholmiæ insulano, requiem consecutus.

Per annum deinceps integrum, de Regis subrogatione, gravissima inter Proceres viguit dissensio, cum maximo patriæ detrimento, quibusdam Canutum, aliis Stenonem, & reliquis Christiernum, poscentibus Regem. Potiores tamen regni optimates Stenoni suffragabantur; præsertim verò Ericus ac Ivarus, Axelio nati, quòd modesti foret ille ingenii; bello fortunatus; regiâ ortus familiâ, & Ingeburgem Achatii fratris filiam haberet uxorem. Itaque ipsi Stocholmiam, Rasburgum, Abogiam, Tavastahufium, & Viburgum pandunt, missoque deindè nuncio ad profugos in Daniam, hortantur ipsos ad subscribendum huic designationi, sic bonis & patriæ restituendos.

Verùm illi Stenonem aversati, Christiernum suadent recipiendum, à quo maritimas nacti copias, per fauces ingrediuntur Sueciam Stocholmenses, & adversariis in Trogdia, subque Upsaliâ congregiuntur, victoriâ semper carentes, in Daniam redire coguntur. Interea M. Jacobus, de Caroli migratione sibi adversantis, & Stenonis promotione mæcenatis factus certior, gaudio exultans, Româ festinat Upsaliam, cumque præfatis Patroni fautoribus, velut etiam Dalecarlis, ac Stocholmensibus, illius gnaviter insudat confirmationi, & aliàs per XLV. annos, fidelissimam patriæ navat operam universæ.



Anno MCDLXXI. Vulgus Sueoniæ tot gubernatores pertæsum, frequens Upsaliæ concurrat, tibi quorundam assensu Procerum, comitia Jenecopiæ, pro certi designatione gubernatoris, propediem celebranda promulgat, illucque festinat. Sed isthic nihil conclusum, quòd Sturii non adessent, Calmarniæ ac Stegeburgo expugnandis intenti, & Danum profugi optimates, nimium urgerent throno restituendum, Is verò se hic repulsum iri probè sciens, per hanc intereà hyemem, ex suis cogit militem regionibus, & auxiliarem à confœderatis Vandaliaë urbibus obtinet. Quibus copiis, licet quidam Danorum suaderent Christierno, Gotlandiam inprimis Ivaro eripiendam, tamen ab illis non persuasus, ipsam primò Sueciam decernit invadendam.

Verum prius litem amicis compositurus tractationibus, invitat Sueones ad colloquium, in faucibus habendum Stegeburgensibus, cum Claudio Ronnou, Daniaë Marscalco. Quod illi non recusantes, de ipso prius consultatum Arbogiæ confluunt, Maji Calendis, ubi inprimis concordiam omnium suffragio gubernaculum regni consignatur Stenoni, isque cum aliis procerum, ad tractandum cum Danis protinus ablegatur. Illis autem congressus, XI. Maji, postulatis unà subscribit induciis, à Pentecoste ad Julias prorogandis Calendas, consentiens interim captivorum liberationi, obsidionumque sub Calmarniâ & Stegeburgo intermissione, atque spondens se cum regni Senatoribus, præfato Regem tempore, in Diurshamnio Stocholmensium, indubiè conventurum, secum accepto focero, Achatio, & affinibus Ivaro Laurentioque. Etenim Danus illorum sibi prius reconciliatorum auxilio, faciliorem cum Sueonibus fore transactionem confidens, ipsos fidè munitos publicâ ad memoratum invitavit colloquium.

Ast inde Steno regressus, cognoscit Regem non pacificum, ceu promississet, verum ad pugnam venturum in Sueciam paratissimum. Ideoque suis etiam rebus provisurus, non modò non revocat militem, Calmarniâ & Stegeburgo, sed & novum sollicitè undequaque cumulat, ac nihilominus Ordines, ad promissum Dano conventum fideliter convocat. Atque cum dies jam instaret, Christiernus LXX. navium classe inprimis Calmarniam accedit, quam obsidio liberavit, Stegeburgumque operâ Erici Caroli, hinc protinus expediti, & tandem Stocholmiam verificavit, X. Julii, sub ipsâ jaciens anchoras. Atqui post mensem, induciarum concedit nostratibus prorogationem, usque VIII. Septembris diem, cum ipsis interim de sui acturus restitutione, ac necessarium ex urbe comeatum procuraturus, nec peregrinis ad ipsam mercatoribus accessum prohibiturus.

Verum enimverò Danus, ex præviis tandem colloquiis probè animadvertens, Sueones non hac arte, sed marte ad subjectionem compellendos, illosque solùm protrahere tempus, ut nervo belli absumpto, & brumæ sævitiâ ingruente, ipsemet cogeret spe frustratus suâ, in Daniam remeare. Quocircâ sub Augusti finem, Proceres Sueonum sibi adherentes, CC. stipatos militibus, per regnum destinant, incolas ad sua pertracturos castra. Quæ Calendis Septembris, ex mari ad suburbium transiit boreale, ac in monte Brunconis firmavit, inde crebrò in subjectam fulminans civitatem, verberibus & verbis. Quibus Stenonem, velut suum quondam puerum, virgis cædendum, & urbem captâ, uxores civium in conspectu maritorum, virilibus ad spondas affixorum, constuprandas minatur. Missis deinde nunciis quaquaversum, ad sua invitat castra plebeculam, bono illi precio salem, cujus maximâ laboraret populus inopiâ, venditurus, & quoslibet virorum adventantium, suæ deputat



putat militiæ, pluresque comparaturus, Upsaliam ipsemet cum parte copiarum proficiscitur, & non paucos nanciscitur.

Steno suis quoque invigilans negotiis, per Ottonem Torberni, Vestrogothis succinctum, Regi Elsburgum, & Axevaldium, solo protinus adæquatum, intereà eripit; regios sub Oerebrogia, & Fernensem prope pontem, aliosque cædit exercitus, ac ipsemet clam Stocholmiã profectus, in Ostrogothiam, non modicas ex regno congregat inferiore copias; de superiore autem Nicolaus Sture, agmina Dalecarlorum producit. Adventum porrò Stenonis inaudiens Christiernus, illi obviam destinat Ericum Ottonis, & Upsaliã properat Stocholmiam, trajectuque prohibitus per Archipræsulem Stechensi, terrã difficulter pervenit ad castra. Stenonem verò illic cum suis cohortibus commodè mox transvectum non assequens Ericus, transitu quoque prohibetur, ideoque plebe domum remissã, cum paucis Regem adiit commilitonibus. Ast Steno ad pontem castrametatus paulisper Rotensem, advenientibus se adjungit Dalecarlis, & MCCC. ex urbe in subsidium expeditis peditibus, atque tantis animosus cohortibus procedit, nuncio præmissõ, frustra Danum, ut incolumis in suam rediret Daniam, exhortans.

Nam Christiernus suis non diffusus quoque viribus, militem disponit ad pugnam, quem Steno circa meridiem, IX. Octobris die, cum parte copiarum, reliquis in vicino hærentibus nemore, ut hostem deinceps à tergo invaderent, aggressus, imprimis repellitur. Quod focii ex sylvis & urbe conspicati, hinc Nicolaus Sture, ac inde Canutus Possæ, cum fortissimis advolant agminibus, castra hostium, pluteosque incendunt, & ne pateret illis ad classem refugium, pontem ad ipsam ducentem clam labefactant sublicium, tamque graves adversariis quatuor horarum spacio imminet, ut ipsemet vulneratus Rex, pugna excedere cogeretur; sub ipso duntaxat vexillo Danorum prætorio, D. conspicerentur mortui, plures multò alibi locorum, & DCCCC. abducerentur captivi. Residui verò ad classem fugientes turmatim, cum succiso fluctibus obruuntur ponte. Atque Christiernus, cum paucis superstitum inde Calmarniam versus præproperè navigans, fœdã jactatur tempestate, nec præsumens Sveones imposterum armis impetere, tantam Germanorum, Scotorum, Danorum, Noricorum & Holfatorum Svecorumque sibi adhærentium, deplorat interneccionem ac captivationem. Quem non nihil mitigat dolorem, natus intereà illi Fridericus domi filius, mense Septembri.

Roterodamensibus prætereà hoc concedit anno Christiernus, facultatem Bergæ extra pontem negotiandi, vectigalium solutionem spondentibus. Sed Steno Sveciæ gubernator, tertio post victoriam die, cum Ordinum consensu statutum perpetuò valiturum promulgat, quo ex Senatu, urbium quarumlibet peregrinos excludit, omnemque illis ad civitatum officia præcludit accessum, his potissimum de causis, quòd magnam sæpius perniciem indigenis deprehensi essent attulisse.

Anno MCDLXXII. Tuvonem Daniæ Archipræsulem, IX. Aprilis die, fata sustulerunt, & Johanni Brochstörpio, Ecclesiæ Archidiacono Lundensis, Secretarioque Regis, infulam illa viduam contulerunt. Verùm Steno, prorex Sueoniæ, primis hujus anni mensibus, regnum perlustrat; justitiam indigenis administrat; arces à Danis recuperat quaslibet; & Ivaro affini, operam patriæ exhibitam remuneraturus, illi, II. Paschatis festo, Calmarniam, cum binis in Oelandiã parochiis, atque XXV. Maji, Stegeburgum eidem, Senatus consensu Suetici in feudum assignavit, his superstes fruiturus munitione-



nitionibus ac ditionibus, post ad Coronam liberè redituris. Erico autem hujus fratri, Sueciæ nunc fidelissimo, Viburgum, Abogiam, Rasburgum, & Tavastahusium pari deputavit conditione, multisque regnavit Steno annis cum singulari in Sveones benevolentia, à quibus fuisset lubentibus etiam coronâ donatus, nisi ipsemet, quod invisum Regis sciret vocabulum populo, illum prudenter recusasset honorem.

Sed modò Christiernus ratus suis consultum rebus, quantocyùs cum Stenone pacisci, conventum flatigat, & ad XXIV. Junii, impetrat Calmarniæ, in quo post multas verborum inter Svecos & Danos velitationes, tandem II. Julii, pax utrinque jugis approbatur; regnorum pristina colligatio; mutua in hostes auxiliatio; libera negotiatio; tuta ultrò citroque commeatio; annua captivorum liberatio; prædiorum utrobique resignatio; & alterius post annum conventus Calmarniæ, X. Julii die, celebratio, promulgantur. In futuro autem congressu, XXIV. Procerum ex Sveciâ, Daniâ & Norvegiâ, de jure Christierni ad thronum Sueciæ, velut etiam Axelidum in Varbergum, Tranecherrium, Solsburgum, Falchenbergum, Schelsoram; & Reginæ Dorotheæ, in Oerebrogiam, disceptabitur, finalisque sententia pronunciabitur.

Interea Christiernus per generum Scotiæ Regem, invitat Ludovicum Galliæ Monarcham, ad fœdus secum pangendum, & matrimonium liberos inter contrahendum, assensuque obtento, conveniunt Edenburgi utriusque Legati, ubi VII. Septembris, pacem decernunt perpetuam, & mutuam in hostes subsidium, quos neuter hospitio vel auxilio unquam dignaretur, connubioque Johannis deputant Johannam Ludovici filiam, quod successum non habuit speratum.

Anno MCDLXXIII. Danus adhuc cum pluribus affectans confœderationem, Gottorpii XIV. ante Pascha diebus, Dithmerfos quoque ad belli pertraxit societatem. Deindè ad præfatum Calmarniæ destinat colloquium, suos, mense Julio, Commissarios, qui cum frustra Regis aliquandiu urfissent apud Sveones restitutionem, & Dorotheæ, Axelidarumque causam nonnihil ventilassent, alio solum impetrato post annum, ad XXIV. Junii diem conventu celebrando, spe frustrati, Daniâ repetunt. Illic verò Christiernum deprehendunt bellum, auxilio Lubecensium & Hamburgensium, in fratrem moliri Gerhardum, principem inquietissimum, qui adversus pacta, Holsatiam sibi armis subjungere modò niteretur. Sed ab adveniente profligatus Rege, profugit ad Bremenses & Luneburgenses, indeque Lubecum & Hamburgum, propter latum fratri subsidium infestavit, ac vicissim Christiernus, fautores sectatoresque Gerhardi, graviter passim mulctavit.

Stregnesia Sueciæ, civitas peramœna, pridie festi Sanctissimæ Triadis, incendio tota consumitur, simulque basilica, cum organis, campanis, facello S. Eschilli, & cœnobio Dominicanorum, solo remanente, citra detrimentum, Episcopio. Simili etiam maectatur infortunio Abogia, Finlandiæ metropolis.

Anno MCDLXXIV. Jacobus Sueoniæ Archiepiscopus, in provinciali Arbogiæ habita synodo, XIII. Januarij, violentos Cleri hospites; colonos Ecclesiæ molestantes; multas Episcopis debitas, vel decimas rapientes, horrendum execratur.

Sed VIII. mensis hujus die, Christiernus, peregrinorum habitu, cum multis comitibus assumpto, Palæstinam, Italiamque versus, sanctum Domini sepulchrum, & limina visitaturus Apostolorum, proficiscitur. Quo Rex itinere ab Europæ Principibus, Episcopis, & urbibus, honori-



norificè passim suscipitur, deduciturque; Præsertim verò à Friderico Cæsare, tractatur inprimis Rotenburgi magnificè, & rogatus impensè, hospiti donavit Imperator, XIV. Februarii, amplissimam Dithemsiæ provinciam, nulli parentem hactenus domino, & hanc cum Stormariâ atque Holsatiâ, in unum redegit Ducatum, quem Christiernus cum hæredibus, Holsatiam nuncupatum, velut imperii vasallus, perpetim foret possessurus. Pridiè autem hujus contulit incolis eam Fridericus prærogativam, quòd illorum nemo, citatus ad externum tribunal, comparere teneretur, antequam domi sententia esset prolata.

Hinc Romam properans Christiernus, illam VI. Aprilis ingreditur, splendideque ad palatium deductus Sixti IV. Pontificis, illic gratis diversatur, XXI. die cum XX. servitoribus, & totidem equis. Aliis verò comitum in urbe liberaliter quoque provisum, & interim Sixtus cum Rege familiariter conversatus, demiratur tantum principem Latini non gnarum sermonis, illumque donis afficit plurimis, vicissim ab eo donatus hæcibus, salpis, & murium ponticorum pellibus.

Multam porrò aliam Christierno ille benevolentiam, isto exhibuit tempore. Etenim die sacro Paschæ, Sixtus ipsemet Regi, & comitibus præbuit universis Eucharistiæ sacramentum, atque postridiè Rosam illi benedictam dono porrexit, his adjiciens non paucas cruces aureas, agnos Dei, indulgentias, reliquias, frustum mediocre crucis Dominicæ, ac privilegia maxima. Nam Christierno facultatem contulit fundandi Academiam in Daniâ, & XXII. Aprilis, potestatem illi facit præsentandi Ludiæ, Upsaliæ, Slesvici, Abogiæ, Lincopiæ, & Arhusiæ, Præpositum; Velut etiam Ludiæ, Upsaliæ, Abogiæ, Arhusiæ, Stregnesiæ, Roschildiæ, atque Ripæ, Archidiaconum; sed Roschildiæ ac Hafniæ, Decanum; Illâ tamen additâ cautelâ, quod nisi regius candidatus, intra quadrimestre confirmationem Romæ impetraret, beneficio privatus censeretur.

Præterea obsecranti gratificatur Christierno Pontifex, quælibet Ecclesiæ Lundensis roborans privilegia, & festivitibus SS. Laurentii ac Canuti, basilicam devotè visitantibus, oblationeque honorantibus, amplas concedens indulgentias. Similiter eliminationi subscribit monachorum, de cœnobio S. Canuti Ottoniensium, Benedictinam non servantium fideliter vivendi normam, & prædiorum ad canonicos ibidem devolutioni, literis hoc super negotio ad regni Archipræsulem destinatis. In gratiam quoque Christierni petentis, sententiam pronunciat maledictionis in rapientes bona naufraga, regium ad littus devoluta, nec tempestivè prodentes pariterque in Holsatos, ceu fœnerationi nimium deditos. Tandem illi Jerosolymitanam relaxat peregrinationem, quod Palæstina esset bellis infesta, hospitali de Saxia largam daturò elemosynam, & nosocomium persimile in Dania Malmogiæ, ac Hafniæ fundaturò. Itaque his impetratis, & sacris Romæ locis visitatis, XXVII. Aprilis, Germaniam versus abiit, eo potissimum nomine, in abitu & reditu plurimum honoratus, quòd pro Rege se vendicaret Gothorum, à quibus olim Italia vastata, & moderna Principum in Europa foret progenies derivata.

Interim condicto comparent die Sueones & Dani Calmarniæ, sed propter Christierni absentiam, aliud non illic transactum, quàm unio regnorum approbata, conventus alius ad X. Julii, anni MCDLXXVI. ibidem obeundus, publicatus, & captivis imperatum, ut post annum ad custodiam redirent hactenus intermissam. Rege tamen absente, diurna ipsius, & mercatorum Vandalicorum cum Anglo feliciter transacta



fuit discordia, Junioque menſe, Chriſtiernus Imperatorem conveniens in reditu, Ausburgi fœdus cum ipſo pangit in hoſtes, præſertim Turcas, & literas Cæſaris obtinet ad Bremensium Antiftitem, Gerhardum Oldenburgi adverſus pacta obſidentem, quibus ſoluta fuit obſidio, & Rex, XXIV. Auguſti, Holſatiam incolumis ex tam longinqua attingit Protectione.

In hac verò peregrinatione, ſolum duo millia, & D. impendit aureos, ubique gratis fermè habitus, plurimas, easque graviffimas hoc itinere, inter Principes varios flagrantes componens controverſias, jamque porrò iuvitatus ab Imperatore, ad tranſigendam inter Archiepiſcopum, & capitulum ferventem Colonienſe diſſenſionem, ſub finem hujus anni, non gravatè illud onus ſubivit, Coloniam ſe conferens.

In Norvegiâ Olaum regni primatem, fata ſurripiunt, & Gauto infulam confequitur Nidroſienſem.

Anno MCDLXXV. Chriſtiernus in Belgio per ſemestre temporis ſpaci-um, varios componendæ litis modos inter præſulem Colonienſium, & Capitulum ebullientis, fruſtrâ adhibuit, Scandiamque re infectâ tandem repetiit. In abſentiâ verò illius monachi Ottoniæ Benedictini, de ſuo exturbati cœnobio, annis XIV. paſſim in Dania vagantur, & Canonico-rum illic fundatur collegium, quibus exules diuturnas moverunt controverſias, donec monaſterium recuperarent. Item Berga, Norvegiæ civitas, cum ditiffimo mercatorum ponte Vandalicorum, incendio vaſtatur.

Sed in Sveonia Jacobus illius Metropolita, inaudiens Chriſtierno factam academiæ in Dania inſtituendæ nuper poteſtatem, ex conſenſu Gubernatoris, & totius cleri, auxilium in ſynodo pollicentis generali, Doctorem Ragvaldum Ingemundi, canonicum Upſalenſem, ablegavit Romam, à Sixto eandem Sueonibus gratiam impetratum. Huic præterea negotium, S. Catharinæ Divorum catalogo inſcribendæ, fuerat commendatum.

Anno MCDLXXVI. Sixtus IV. legitimæ Sveonum ſatisfacturus petitioni, XXVII. Februarii, foundationem in Suecia comprobat Academiæ, largiens illi paria cum Bononiensium privilegia, & Jacobum regni primatem, ſucceſſoresque, perpetuos ipſi deputans Cancellarios. Apotheoſin verò B. Catharinæ, commiſit Latino de Urſinis, Epifcopo Tuſculanenſium; Stephano, titulis Hadriani præbytero Mediolanenſium; & Johanni, diacono Veronenſi, cardinalibus examinandam. Hi proinde ſibi protinus ſubſtituunt in Sueciâ commiſſarios, Jacobum regni Archipræſulem, Henricum Lincopiæ Antiftitem, & Doctorem Simonem Gudmundi, ibidem præpoſitum, codicem miraculorum, cum articulis porrò interrogandis, ad illos deſtinando, fidelemque ipſorum operam requirendo.

Menſe autem Julio, Sueones Calmarniæ cum Danis congreſſi, ſignificant Ordines vehementer contrarios, Chriſtierni ad thronum revocationi, quòd crebrò pactis non ſtetiffet, & multam regno cladem frequenter intuliſſet. Attamen ſi æquis primùm vellet illorum reſpondere poſtulatibus, ſpondent XII. huc deputati Proceres, illius reductionem. Aſt cum adverſarii urgerent ſpoliatum inprimis reſtituendum, exindeque contra ipſum eſſe procedendum, & Sueones periculofum ſibi tunc fore juris cum Rege proceſſum reſponderent, concluſum fuit, XIV. Auguſti, ut Sueonum IV. Chriſtiernum Rotnebygiæ morantem, de ſuis compellarent querelis, ac ſivè recipere-tur, ſivè rejiceretur, pax inter Scandiæ regna non violaretur, ſed alius pro-pedem hæc de re haberetur conventus. Quocirca die Jovis ante feſtum S. Bartho-



Bartholomæi, nostrates ad Regem profecti, æquissimis Ordinum postu-  
latis, non impetrant illius consensum, & XXVI. Augusti, denuo  
pollicentur nihilominus Christierno thronum Sueciæ, dummodò primum  
votis illorum dignaretur respondere. Verum ipso pertinaciter oblu-  
ctante, suamque inprimis restitutionem flagitante, Sveonum commissarii negotium  
devolvunt ad regni Ordines, sequenti convocandos æstate, & hac dere  
consulendos, Christiernum deinceps, XXIX. Julii, responsum promit-  
tentes accepturum; atque si assentirent Sveones Regi, ab illis mensè Au-  
gusto, vel Septembri, honorificè in regnum esse deducendum, de quo  
etiam negotio, literas Danus amœnas Suecis per Legatos destinavit, pol-  
licens votis se illorum in omnibus satisfacturum, quamprimum amissas  
regni habenas recuperasset.

Anno MCDLXXVII. Jacobus Sueciæ Archiepiscopus, præfatam ex  
urbe nactus commissionem, initio veris, cum deputatis abiit Vastenum  
collegis, ubi sedulâ in sanctimoniam B. Catharinæ præmissâ inquisitione,  
tandem V. Maji, publico citat edicto, ad suum quoslibet Sueciæ inco-  
las tribunal, qui pro sanctitate hujus dominæ, vel contra, quidpiam  
noscerent proferre. Illud verò fuit edictum, XVIII. Maji, ex suggesto  
Upsaliæ, & feriis Pentecostes Arosiæ publicatum, Doctore Matthiâ pro-  
curatore. Christiernus intereâ propensiores suæ causæ apud Sueones, effe-  
cturus Axelidas, ac inprimis filios, & generos Achatii Axeli, quòd  
unus illorum foret, Steno regni gubernator, istis argentum, pro quo  
Varbergum Achatio fuit oppignorum, refundit. Indè tamen nec illi,  
nec Sueonum reliqui fuerunt seducti, utpotè qui pactis satisfacturi proximi-  
mis, in frequentissimis regni comitiis, Regem penitus recusarunt, ni-  
si promissâ literis, sigillis & juramentis, vellet inprimis mandare execu-  
tioni, ac Legatis Hafniam missis, hæc ipsi significarunt. Atque cum  
nullâ posset ratione Danus huc perducì, Sueonum commissarii, testimonio  
vetusti Lubecensium chronici, palàm illic Christiernum repudiarunt, &  
remearunt. Itaque falsò testantur Danorum consilarii, suis literis post  
nostratium abitum Regi datis, ipsum à culpâ in hoc esse negotio prorsus  
alienum; Imo Christiernus ipsemet prospiciens ex parte amissæ in Sueci-  
am jurisdictionis, se in curia non posse Romana Sueonibus nocere quid-  
quam, destinato mox illuc nuncio, queritur solum de Stenone, propter  
Oerebrogiam, uxoris dotem ipsi subtractam, gladium Sixti IV. implo-  
rans spiritualem, ficque machinans obliquè adversus Stenonem anathe-  
mati subjectum, in negotio totius Sueciæ, citra difficultatem præva-  
lere.

Sed Steno causæ fretus æquitate, hinc non perturbatur, & II. Ju-  
lii, de novo consultans Academiæ incremento cum regni Senatu, hujus  
assensu, tanta illi largitur in temporalibus, quanta olim Galliæ Rex,  
Parisiensi concessisset privilegia. Et præsul ipsemet regni summus, ele-  
gantissimis Upsaliæ fundatis ac consummatis hætenus acroateriis, juxta  
decurium fluminis, XX. Julii, valvis basilicæ affixo publicat lemmate,  
quòd XXI. Septembris Professorum sollennis celebranda esset introductio,  
ad illam præfules & proceres Sueciæ familiariter invitans festivitatem. Con-  
stituto igitur tempore frequentissimi comparent Upsaliæ Optimates regni,  
in quorum præsentia Professores inducti VII. Octobris die, postmodum illic  
quarumlibet lectiones facultatum feliciter auspicantur, festo nimirum S.  
Birgittæ, quòd ipsa patriæ haberetur patrona.

Hæc Upsaliæ, ast Stocholmiæ contigit interim scelus execrabile, quòd  
monachi ibidem Franciscani, crebris dediti commestationibus, compota-  
tionibusque, in suum perpetrarunt noctu Quardianum, illos jugiter & fi-  
deliter



deliter ab hujusmodi dehortantem helluationibus, ipsum propterea sceleratissime trucidando. Quando arcem Finlandiæ Novam, alias munitionem S. Olai, nuncupatam, Ericus Axelii, Moscorum averfurus irruptiones, magis firmavit.

Anno MCDLXXVIII. Fallacibus persuasus Pontifex Christierni relationibus, Romæ XIV. Januarii, sententiam profert maledictionis in Stenonem & sequaces. Verum Steno protinus Romam disertissimo viro Hemmingo Gad transmissio, suam manifestat Sixto, & executoribus, Herberstatensi & Mersburgensi Episcopis innocentiam. Gadius vero non apud Sixtum modo, sed etiam Innocentium VIII. & Alexandrum VI. cujus fuerat quoque cubicularius, totis XX. annis fidelissimam Stenoni navavit operam adversus Christiernum.

Interim Danus filio Johanni, posthabito cum Gallorum regis filiâ matrimonio, aliam provisurus conjugem, Christinam Ernesti Saxonum Principis obtinet filiam, cum XX. millibus aureorum, VI. Septembris, ipsi denuptam. Quibus Hafniæ nuptiis peractis, animum Christiernus ad foundationem convertit academiæ, IV. Octobris, M. Petrum Alberti Coloniam expediens, Professores eruditione insignes in Daniam advocatum.

Anno MCDLXXIX. Moschus Livoniam ingressus, horrendam in incolas, & horum accolos Finlandos, exercuit tyrannidem, viros eviscerans; fœminis ubera præscindens; infantes igne & aquâ consumens. Hostem verò crudelissimum Sueones infecuti revertentem, par pari retulerunt.

Cæterum Coloniâ hoc tempore M. Petrus Alberti, Medicus, in Daniam reversus, secum adducit M. Petrum Schotte, S. Theologiæ Baccalaureum, & M. Thilemannum, Juris Candidatum, primos in novâ Hafniensium academiâ Professores. Quando Romæ Sixtus IV. de sanctimonia B. Catharinæ hætenus luculenter & frequenter edoctus, illam numero Divorum collocat, per Scandiæ regna, & Brigittinensium cœnobîa, die obitus sui, scilicet XXIV Martii, honore Sanctis competenti, colendam. Verum Arosiæ in Sveoniâ, Ludechinus illic antistes, mense Septembri, primus ibi Archidiaconatum instituit, & D. Ragvaldas Ingemundi, Upsalensem fuit adeptus, D. Conrado Rogge, hujus beneficii possessore, ad cathedram promotus Stregnensem. Atqui primus Arosiæ fuerat Archidiaconus M. Jacobus, successorem habens Johannem Ingemari, Vestrogothum. Sub Lincopiâ demum Ostrogothiæ, sacellum hoc anno fundatur patronorum, teste inscriptione.

Anno MCDLXXX. ineunte, Marinus de Fegreno, Caminensium nunc in Pomeraniâ Episcopus, ex commissione Pontificis, quem Christiernus nuper in subsidium vocasset, diem Sveonibus & Danis dicit, mandans satis imperiose nostratibus intra spatium sex hebdomadarum, coram suo Grypsvoldiæ tribunali comparere, Christierno responsuris, & ultimam controversiæ sententiam percepturis. Sed bello Sveones implicati Moschovitico, non comparuerunt, Russiam XXIV. hominum millibus pervadentes, populantesque.

Ex hac reversus incurfione Ericus Axelii, moritur, quando contra pactum assignat fratribus, Ivaro & Laurentio, primarias Finlandiæ munitiones, Viburgum, Tavasthusum, Rasburgum, ac Olufsburgum, sub illo prætextu, quod hæredes illas possessuri arces cum ditionibus essent, donec Sueones ipsis persolverent impensas, his muniendis & defendendis, à sese assignatas. Hanc profecto fraudem ægerrimè tulit Steno, qui non obscure illam prævidens Abogiam paucis ante tempore occupaverat.



Conradus Rogge infulam nactus Stregnensem, fundamenta basilicæ producit, summum illi adjiciens chorum, totam post incendium restaurat venustè fabricam, turrim longè celsiorem reddit; & Episcopium construit. Quo Johannes tempore, præfulem agens Scarensem, domum restaurat eleganter Husbyanam, & antecessorum illustrat imaginibus, versibusque Sueticis illorum vitam enarrantibus.

Christiernus verò ad colloquium vocatis Dithmeris, insinuat Cæsaris donationem, qui Fridericum perperam informatum respondentes, se Bremensi subjectos Episcopo fatentur, jugo Dani repudiato, quocum annuas tamen paciscuntur inducias. Deinde provivurus uxori Christiernus post suam mortem, quam ex quotidiana corporis debilitate animadvertit propediem imminere, sub exitum Novembris, illi Ducatum assignat Holsaticum, ipso fruituræ, donec Ordines centum millia florenorum ei numerarent, quam deinceps Cæsar donationem suo roboravit diplomate.

Anno MCDLXXXI. Ivarus à Svecis admonitus, resignandæ ad manus gubernatoris Finlandiæ, respondit citra refusionem sumptuum, quos frater Novæ arci firmandæ, ac Viburgensi mœnibus circumdatæ, per ipsum civitati impendisset, se arces & provinciam non traditurum. Itaque vehementer indignati Proceres, quòd ille cum fratribus ex sua proscripserat patriâ, ad tantam in Sueciâ potentiam & insolentiam transcendisset, ut Gottlandiam, Calmarniam, & Stegeburgum, cum amplissimis occuparet regionibus. Ac quæ precariò regnum olim ingressa soboles Axelii, non solum nobilioribus Sveciæ virginibus deinceps potita, præstantioribus usâ beneficiis & officiis, sed ad ipsum quoque regni sedisset aliquandiu gubernaculum, & illud adhuc ambiret. Nunc cum Danis colludens, ut suos illic fundos recuperaret, ac per eosdem Moscosque Sueonibus minans, ut occupatos in Sueciâ retineret. Nunc Danis per Sueones formidinem incutiens, & thronum illis Sueciæ, pro suo tradendum vel auferendum arbitrio, tripudians.

Hinc Ordines jure permoti, ad comitia citant Ivarum Nycopensia, in quibus compulsus spondet se Finlandiam intra Paschæ solennia omnino resignaturum. Verùm illo profectus tempore gubernator Viburgum, illusionè à Laurentio Ivari fratre, non arcium deditione suscipitur. Istoque permotus dolo, & Finnonum de ipso querelis prohibet arcibus commeatum importari, donec se violentâ Ivarus provinciæ abdicaret usurpatione. Quod ipsum suis protinus fecit literis Senatus regni per Finlandiam publicatis.

Interim Christiernus, lethali detentus morbo, XXII. Maji, vitam morte commutat, & Roschildiæ in sacello trium Regum, per ipsum fundato, ac insigniter ornato, tumulatur. Post exequias verò Dani, Suecos & Norvegos ad novi designationem Regis, amicissimè provocantes, ab illis impetrant consensum, conventus Halmstadii propediem celebrandi, non ab his, Danorum subesse diutiùs servituti profus abnuentibus. Istud autem Sueones in via Halmstadium versus constituti rescientes, & citra præsentiam Gubernatoris, à profectioe continuandâ, vehementi oculorum morbo remorati Vasteni, nihil cum Danis tutò constituendum perpenderentes, domum regrediuntur. Dithmeris etiam Daniæ jugum detrectantes, XXX. Junii, ab ipso per Cæsareum liberantur diploma, Bremensium auscultaturi Episcopo, donec causa in judicio esset ventilata & determinata Imperatorio.

Triduo post, nempe II. Julii, filius nascitur Johanni trium Regnorum competitori, Christiernus, alterâ post meridiem horâ, unam apertam, & aliam in pugnum contractam proferens manum, sanguine plenam



plenam. In uterò prætereà flevisse perhibetur, quæ non obscura tyrannidis in Scandios, & potissimum Sveones progressu temporis exhibitæ, fuerunt argumenta. Ex cunis etiam per simiam deportatus, absente nutrice, ad castri fastigium Nyborgensis, & mox reportatus incolumis, suam ad præcellsum trium regnorum fastigium, fortunæ beneficio, quæ velut cercopithecus, illud mortalibus sublimationem, ac tandem in exilium carceresque perpetuos detrusionem, prudentibus insinuavit rerum æstimatoribus.

Sed Pater Johannes, hujusmodi non ponderans æquo portenta momento, propter genitum sibi filium exultat, indeque regnorum factus cupidior, operâ Senatus Danici, Suecos & Norvegos ad alium Halmstadii, pro suâ habendum electione conventum, crebrò sollicitat. Proindè Sveones responsuri Danis, Telgæ frequentes, mensè Julio, confluunt, ac XV. Augusti diem sequentis anni, Halmstadiano determinant colloquio. Ad Telgensia verò fuerat V. Julii citatus comitia Ivarus, literis & nunciis, rationem occupatæ redditurus Gottlandiæ, & VI. Augusti, Viburgo respondet, prætendens ob imbecillam corporis valetudinem, se haudquaquam posse nunc comparere, ac quærens de prohibitâ in munitiones Finlandiæ adventantis Moschi expositas formidini, commeatus importatione, poscensque subsidium in hostes operam suam & fratris contra ipsos deferendo. Ob quam, & impensas à fratre in simili factas negotio, acceptâ compensatione, promittit Finlandiam Senatui restitutum iri, non Stenoni, quem avaritiæ & ingratitude accusat, quòd Axelidarum promotus consilio auxilioque ad regni gubernaculum, hanc rependeret illis gratiam. Nec ausus fuit Gubernator suam, vel regni causam rigidius contra Ivarum agere, subverens nè Dano vel Moscho proderet Sueciæ munitiones, & in commodius illam differens proptereà tempus.

Plus tamen insidias formidans Johannis, in curia struendas sibi Romanâ, illuc denuò expedit tempore autumnii, Steno Hemmingum Gadium, illic obicem prudenter positurum. Quando & cum Norvegis, præsertim Gautone, Regni Archipræsule, de recuperanda & tuenda libertate immunitateque, adversus Danos, clanculum conspiravit. Atqui ad comitia regressus Telgensia, deprehendo Stenonem, & regni Consiliarios, ut cœlituum uberiores assequerentur benedictionem, in excolendâ nuper inventa in parochiâ Felinsensi territorii Norundensis, argentifodina, quadrantem argenti donasse Upsalensium Præsuli Jacobo, inde proferendi. Denique Moschus intereà, Finlandiâ posthabitâ, Livoniam cum CC. armatorum millibus infestat, IV. solo adæquat arces, & IV. hominum millia nobilium in miserrimam abducit servitutem.

Anno MCDLXXXII. Norvegi Danis pacta non servantibus, & Orchadas Hetlandiamque Scoto assignantibus, subesse diutius recusantes, Sueonibus se adjungunt, Danorum pariter jugum excussuris. Johannes verò inprimis de obtinendo Daniæ sceptro, securum se redditurus, novam in comitiis Ordinum Calenburgii postulat, impetratque sui electionem, & quamlibet regni munitionem. De Holsatiæ postea Ducatu sollicitus impetrando, veris initio cum fratre illuc Friderico proficiscitur, ipsi sibi que poscens ditionis investituram à præfule Lubecensium, qui nomine Cæsaris illam hâc tempestate Imperii vasallis, conferre solebat. Verum quod Christiærnus intermortuis deputasset vocibus Friderico Holsatiam, idemque mater superstes Dorothea flagitaret, Johanne, si Diis placeret, Daniam, Sueciam & Norvegiam possessuro, Holsati solum ex-



pētebant Fridericum, ac reluctantē Johanne, hanc differebant litem in tempus oportunius componendam.

Johannes proindē spem gerens dubiam Holsatiæ impetrandæ, ut Sueciâ & Norvegiâ potiretur, suos denuò Halmstadium ablegat commissarios, ubi quod non comparuissent Norvegi, Danorum societatem detestantes, & Sueonum affectantes, sola regnorum sub uno Rege approbatur iterum, XXIII. Augusti, colligatio, novi prorogatâ Regis designatione, ad alium ex Suecis, Danis & Norvegis, conventum. Quo autem ille habendus esset tempore, Sueones Hafniam profecti, cum Johanne postea determinarent. Sed difficulter admodum Norvegis persuasit aliud Ludosiæ colloquium, in quo ipsis, Suecisque, se oppidò liberalem præbuit in spondenda veterum confirmatione privilegiorum, ac novorum collatione, velut etiam Gotlandiæ, Orchadum, & Hetlandiæ restitutione, atque nominum solutione paternorum, indeque seducti Sveones & Norvegi, alteri subscribunt conventui, XIII. Januarii, celebrando Halmstadii.

Hinc Dorothea certò confidens Johannem totius futurum Scandiæ Monarcham, illique Holsatiam propterea invidens, ipsam clanculum adiit, & Friderico hanc soli machinatur impetrare. Sed illam resciscens matris fraudem Johannes, quantocyus eò advolat, sicque negotium transigit, ut consensu parentis, ac Holsatorum concordi, XI. Novembris, Hamburgi feudo provinciæ simul cum fratre investiretur; Quam solus sequenti tamen gubernat octennio, Friderico adhuc minorenni, ac XII. Decembris, privilegia roborat Holsatis.

Anno MCDLXXXIII. Præscripto Januarii die, conveniunt Halmstadii cum Norvegis Dani, à quibus Sueones duabus expectati septimanis, tandem adveniunt, frustra que urgent querelarum satisfactionem, Regis præmittendam electioni. Hanc itaque in aliud differentes tempus, solum fœderi regnorum subscribunt, & abeunt. Dani verò & Norvegi remanentes, sub veteribus & novis quibusdam conditionibus, Regem designant Johannem, II. Februarii, quas approbavit candidatus, & blandioribus Suecos invitavit, inter alias spondens, ipsos à censuris absolvendos Romanis, si ante VIII. Septembris, suæ pariter consentirent electioni.

Indè coronatus Hafniæ, XVIII. Maji, novis Sueones sollicitat literis. Ast Steno, cognitâ Laurentii Axelii morte, subveritus, nè Ivarus Johanni Finlandiam proderet, mense Junio, sub fide publicâ Ivarum in Gotlandiâ convenerat. Is autem callidè beneficia soceri, fratrum, & sua, in Suecicam exaggerans Rempubicam, non prius Viburgum, Tavastahufium ac Olufsburgum, illic resignavit, quàm sibi Steno, Senatus consensu, vicissim in Sueciâ Olandiam cum Borholmio, Angermaniam, Gestritiam, aliaque regni territoria, cum Enecopensium civitate, ac latifundio Suartescigenfi, Rasburgoque Finlandiæ, deputasset. Quas post obitum Ivari, mox Sueones recepturi essent ditiones, præter Rasburgensem, quòd eâ liberi deinceps Laurentii Axelii, XX. forent annis perfruituri.

Interea Johannes in Norvagiâ profectus, XX. Julii, diadema hujus regni capeffit Nidrosiæ, & Steno tantum formidans adversarium, Hafniam missis Legatis, novum approbat conventum, mense Septembris, Calmarniæ frequentandum. Verùm domi cum Stocholmensibus vehementer decertat, quòd uxorem in suâ absentia, tumultuantibus se pacis gratiâ immiscentem, conculcassent, & culpam deprecantibus, singularemque pollicentibus sibi fidelitatem, offensam condonat. Denique



Calmarriam properat, cum aliis regni Optimatibus, & VII. die Septembris, sub iisdem, quibus nuper Dani ac Norvegi, conditionibus, Johannem Sueciæ Regem designat, illâ quidem præter alias cautione, quod XV. Augusti post annum die, Calmarriæ candidatus comparens, priusquam porrò in Sueciam coronandus perduceretur, litem Sueonum cum Danis de Gotlandiâ, & cum Norvegis super Schordalia Suartaviaque, omininò æquam ferendo sententiam, esset dirempturus; quaslibet sibi & sectatoribus condonaturus offensas; pactaque non transgressurus, alias in se moventibus, velut constitutionum prævaricatorem rebellionem, crimini nequaquam versurus.

Jam triplicem Scandiæ thronum, spe Johannes tenebat, nec illo contentus, totam sibi Holsatiam quoque subjugare molitur, fratri operam literis Coloniae navanti, Ecclesiasticum illic procurans beneficium, & sperans idem vitæ genus ipsum pariter amplexurum, sibi que integram Holsatiæ possessionem relicturum.

Anno MCDLXXXIV. Sueones Upsaliæ, XVIII. Maji die congregati, Commissarios nominant, ad conventum deinceps profecturos Calmarriensem, & his in procinctu constitutis, denuò Stocholmiæ, XV. Augusti, in cœnobio congressi insulano, unanimi decernunt consensu, pactis anni superioris adhærere Halmstadianis, & Calmarriensibus, idque Legatis commendant abeuntibus decretum executioni mandandum, dummodò postulatis primum Johannes satisfaceret.

Itaque Steno cum XIII. Proceribus Calmarriam ingressus, obsecrat, ut controversia imprimis de Gotlandia, Scordalia & Suartavia, jure decideretur, paratus Johannem deinde in regnum deducere. Sed adversariis suæ causæ metuentibus, & nuperi pœnitentibus promissi, urgentibusque Suetico Johannem prius sceptro donandum, nihil impetrat, nec porrò cum ipsis de regiâ deliberat inductione, quam patriæ fore perniciosam hinc non obscure prævidet. Nam si candidatus Sueonibus justitiam non administraret, multò minus illam impertiret coronatus. Attamen fœdus regnorum Septembri mense approbat; culpam dilatæ inaugurationis, Johanni merito imputat; orbum regni gubernaculum denuò acceptat, quod annis deinceps XIV. illâ moderatus prudentiâ clementiâque, teste Alberto Crantio, ut Sueones Regem non desiderarent, licet ipsos continuis intereâ literis, hoc super negotio Dani sollicitarent, armis illud attentare nequaquam audentes. Siquidem Dorothea Johannis mater, annis XL. potentiam experta Suecorum, quoad vixerat, filium à bello in illos suscipiendo dehortaretur.

Anno MCDLXXXV. Cum Danos quidam Anglorum, diuturnâ infestassent piraticâ, Johannes illorum querelis motus, non propriam solum in piratas classem producit, verum & alienam, huic partem assignans prædæ in Dania citra periculum cum lucro distrahendæ. Hanc proinde non negligendam ratus occasionem Ivarus Axelii, generique Arvidus Trolle, missis ex Gotlandia myoparonibus, balticum infestant Oceanum, ingentes corradunt opes, maleque hujus ergo prædationis, Sueones in emporiis audiunt passim Vandalicis. Unde Steno provocatus, velut etiam, quòd Johannem Gotlandiæ cognovisset inhiare, ut ipsam adeptus, inde Suecos oportuniùs infestaret, Ivarumque Visbygii congressus multi per se aliosque adhibitis rationibus, ab ipso conatur frustra hanc Sueciæ insulam, cum Oelandiâ & Calmarriâ, hostibus æquè commodis, recuperare.

Quocirca Stocholmiam regressus, simulque Ivarus, gravissimam litem, huic Trolloque movit illic in frequentibus Ordinum comitiis, ob pirati-



raticam cum summâ Sueonum ignominiâ exercitam. Tantumque Steno adversus prædones effecit, ut Arvidus in vincula conjiceretur, & Ivarus in maximo vitæ constitutus discrimine, ni mitius secum procederetur, Moschum se in regni adducturum regiones minaretur. Sed tandem reconciliatus Stenoni, cum aliis regni optimatibus, illum in gubernatione confirmat, Johannis promotionem, hîc etiam ventilatam, explodens. Hoc præterea conventu, mense Octobri celebrato, militares approbantur suppetiæ, Archiepiscopo Rigenfium, contra Magistrum Ordinis Livonici, velut hostem ferendæ communem, & cum ipsis sub initium brumæ, prænobilis Eques Ericus Nicolai Rigam destinatur.

Interea temporis Johannes, legato Romam transmissio, ab Innocentio VIII. illius obtinet bullæ confirmationem, XII. Junii, quâ olim Nicolaus V. & Calixtus III. prohibuissent, nè Dani illuc citati, ad primam tenerentur instantiam comparere. Immò XXIX. Julii, omnia comprobabat Innocentius privilegia, quæ illius collata essent Majoribus à sede Romanâ. Idemque Pontifex Norvegis, ob vini hoc regno penuriam, sine illo sacrificandi potestatem fecisse perhibetur.

Fridericus verò Johannis frater, hætenus Coloniae liberalibus invigilans artibus, & à matre amicisque de fraterno admonitus dolo, quod sibi Canonicatum pro ducatu moliretur obtrudere, domum quantocyus reneat, & suam de Holsatiâ sibi usurpat portionem.

Anno MCDLXXXVI. Lubecenses summoperè detestatur Johannes, quòd resciret nonnullos illorum consilio sibi rebellare Sueones, ac vicissim horum potentiâ fretos Lubecenses, Danicas non magnoperè vires, ob cædem præsulis, & Castellani Bergensis, imminentes formidare. Atqui Sueones indè magis animati, suis ad conventum Vandalicarum urbium, Lubecæ habitum, legatis expeditis, cum universis Vandalicæ municipiis, fœdus in hostes contrahunt, & audito illic Cæsaris decreto, Rigenfibus adversus Crucigeros ferre subsidium prohibenti, cum his amicantur, inque Moschum postea confœderantur.

Indè Johannes suis diffidens meritò rebus, & rescians Norvegos etiam Stenoni plus quàm sibi propensos, mense Julio, illos Bergæ congregatos, variis demulcet officiis ac beneficiis, indubiamque de Noricorum fidelitate spem adeptus, Daniam animosior repetit. Præterea cognoscens Stenonem & Ivarum inter, non satis fidam vigere amicitiam, indictis Hafniæ comitiis, Gotlandiam Ivaro, Sueonum ope destituto, concludit eripiendam, indeque Sueciam postea commodius impugnandam.

Hujus non ignari molitionis Sueones, VIII. Septembris die, frequentes Telgæ conveniunt, ubi quibusdam frustra Johannis suadentibus promotionem, bellum decernitur primordio sequentis anni, Scanis inferendum.

Ivarus autem in eodem Reipublicæ negotio, ut etiam in causâ Gotlandiæ, Oelandiæ ac Calmarniæ, huc peramicè vocatus, non comparuit, significans Stegeburgum se propediem venturum, & illic sui conveniendi Suecis potestatem facturum. Quocirca Steno propter impendens patriæ discrimen, hâc Ivari non remoratus arrogantiam, nactusque fidem indè publicam, ipsum Stegeburgi accessit intrepidè, ubi cum sociis, Lincopensium Episcopo, & Nicolao Sture, captivi fermè loco habitus aliquandiu, citra ullam insularum vel Calmarniæ spem obrinendarum, dimittitur.

Quo Gubernator inaudiens tempore, Vestrogothos Danorum instinctu sibi rebellionem moliri, illuc descendit, & IV. factionis authoribus supplicio affectis, reliquos ad pristinam haud difficulter perduxit subjectionem.



Hoc demum labente anno, strenuus Eques, Ingo Joannis, conjuxque Birgitta, cœnobium ordinis Cisterciensis Husbyanum, in fundo Riederhytta nuncupato, construxerunt, quod ex voluntate Abbatis Alvastrensis, Montem Domini appellarunt. In hoc deinceps monasterio, insigni floruit quidam Stephanus, & alter Arosiensi, præscientiæ dono admirabiles, prout illorum testantur prophetiæ de argentifodinâ illic ditissimâ quandoque manifestandâ, & terribili in prato Arosiensium pugnâ committendâ.

Anno MCDLXXXVII. Meditans Steno Scaniam invadere, VI. Januarii, Sueticas recenset copias Lincopiæ. Verum quod illuc invitatus non se præsentaret Ivarus, adversam falso prætendens valetudinem, exercitum de regno non audet Steno abducere, subveritus, nè in sua Ivarus absentia, cum sectatoribus, quos haberet plurimos, gubernaculum invaderet. Quamobrem ipsius exploraturus animum, Oelandiam versus cum exercitu procedit, & quod iterum accitus ad colloquium Ivarus, illic latitans, non solum non obtemperaret, sed etiam nuncios captivaret Gubernatoris, huicque strueret insidias, principio mensis Februarii, illum in castro morantem Bornholmensi, obsedit. Cui præfuit obsidioni Suanto Sture, qui suo licet non indormiret officio, tamen Ivarus relictâ ibi uxore Magdalenâ, nocte in tempestatâ, scaphæ beneficio indè clam evasit in Gotlandiam.

Alterum verò expedit Steno exercitum, ductore Canuto Eschilli, ad impugnandum Stegeburgum Ostrogothiæ; & cum tertio Rasburgum, Canutus Possè acriter oppugnavit. Sed cum residuâ copiarum parte, ipsemet Steno regnum perlustrans, feuda Ivaro, arcesque, Calmarniam scilicet & Nycopiam, eripit, factiosos opprimit; inter sua ultrò citroque commeans castra, militem in expugnationis munere dirigit, & copiosorem adhuc requiri animadvertens, in conventu ordinum Stocholmiæ instituto, à regni præfulibus, urbibus, ac provinciarum inhabitatoribus, amplissimas nanciscitur cohortes, navales atque terrestres. Hinc sibi timens Catharina Laurentii Axelii vidua, Rasburgum dedit, eoque Suecorum firmato præfidiis, Canutus sub Stegeburgum, cum reliquo proficiscitur agmine, quod Erlandus Bagge, Majo ineunte, nostratibus quoque pandere compellitur.

Deindè cum universis Steno copiis Borcholmium impugnavit, cui Danos, Norvegos & Holfatos, Ivarus adversarios oppositurus, Gotlandiam his spondet conditionibus Johanni se resignaturum: Si profligatis sub Borcholmio Suecis, uxorem suam vellet liberare; se pristinæ gratiæ, fortunis & prædiis hæreditariis, ac hypothecæ loco quondam sibi, fratribusque assignatis, restituere, quamlibet condonando penitus offensam. Quibus lubens consentit Johannes pactis, & ne grandis Sueonum exercitus in Oelandia desedens illis poneret obstaculum, XL. navium classe, Junio mense, navigat, Gotlandiæ insulam Ivaro etiam invito, Suecorum jam destituto auxiliis, paratus eripere. Quam tamen is ultrò Regi dedit adventanti, conditionum nactus obsignationem, & insulam Sueciæ Danis injustè prodidit.

Illâ potius Johannes, Oelandiam jure pactorum invadere tenebatur; sed tantam illic Sueonum formidans potentiam, amicum poscit Stenonis colloquium, in quo suam, & Ivari confidit pacificè cum Gubernatore tractum iri causam. Itaque consensu Stenonis obtento, promontorium Oelandiæ securus petit Johannes, quem Steno, acceptis obsidibus, convenit intrepidus, & impensè sollicitatus, thronum ipsi Sueciæ, Gotlandiæ ac Oelandiæ pollicenti restitutionem, addicit vicissim. Hinc Ivarus à Johanne protinus impulsus, spondet Borcholmii deditioem, & tamen illâ fraudulenter posthabitâ, indè Regem comitatur in Daniam; ubi ad reditum compulsus, remeat, arcem Stenoni pandens, & Daniam repetens, illicque nè gurgustium qui-



quidem adhuc possidens, ad quod cum uxore ac familiâ diverteret, & serò illud obtinens in patriâ, qui tot amplissimas in Sueciâ ditiones, ac splendidissimas inhabitasset munitiones, idque ex meritis homini contigit perfidissimo infortunium.

Steno autem nactus Borholmium, regnumque de hostium manibus universum, istud mox Johanni assignasset, nisi Gotlandiam is Sueciâ abnuisset resignare, nuperi sub Oelandiâ promissi oblitus, pactique Calmarnensis ante quadriennium constituti. At Johannes de successore magis pro tempore sollicitus, Christiernum filium Lundia, XXII. Septembris, ab omnibus Daniae Ordinibus, Regem procurat designandum, scepro post obitum suum potiturum.

Anno MCDLXXXVIII. Johannes citra Gotlandiâ traditionem, se obrufurus Sueonibus, Moschum ad vastandam impulit Careliam. Sed mater Dorothea, Sueones alio sub jugum dolo compulsura, Romam devotionis prætextu abiit, illic ab Innocentio VIII. literas ad Jacobum Sueciâ Archipræsulem impetrans, quibus ipsi mandatur Stenonis sectatorumque ab Ecclesia exterminatio, nisi Oerebrogiam Dorotheæ, ac perceptos tot annis resignaret proventus. Illius præterea motus precibus Innocentius, Archiepiscopo Daniae commendat monachorum restitutionem Ottoniensium, quod canonici annis XIV. ipsorum nullo jure cœnobium prædiaque usurpassent. Denique votum eidem Hierosolymitanum, eleemosynam nosocomio de Saxia Romæ liberalem præbituræ, clementer relaxavit.

Legatus verò Stenonis Hemingus Gadius, innocentiam Domini coram Pontifice vehementer tuebatur, probans Dorotheam ex vigore legum Suevicarum, merito & legitime privatam Oerebrogiâ, quod crebrò in Sueciâ Rempubicam illa deliquisset, indeque jure suo excidisset. Demonstrat insuper, quòd non tam Oerebrogiæ, quàm totius Sueciæ causâ recuperandæ, hujusmodi bullam Regina impetrare contenderet, nimirum ut Sueones censuris compulsi, Johannem pactorum transgressorem, ad thronum sublimarent.

Cæterum Julio mense, Steno propter Moschorum irruptionem, & Danorum in urbe machinationem, Ordines Telgæ convocaverat. Qui de utroque consulti negotio, Johannem gladio potius quàm scepro excipiendum statuunt, donec pactis responderet; Gotlandiam traderet, ac tantum Sueciæ, quantum Daniae commodis se invigilaturum luculentius comprobaret. Moscho autem protinus arma decernunt inferenda, hisque cum diverso bellis hoste multum pecuniæ impendendum considerantes, concludunt, quod imposteriorum regni vectigalia in argento essent pendenda, monetæ signationi applicando. Ita finitis Telgæ comitiis, Gubernator autumnis tempore copias ducit in Finlandiam, quando bullam nactus Innocentii, se literis apud illum defendit, & Russiam versus animosè contendit, cladem clade insigniter compensans.

Anno MCDLXXXIX. Axelius Olavi, connivente, vel potius jubente Johanne, Lubecensibus, velut Sueonum fautoribus infesto, paternam vindicaturus cædem, classe illos propriâ infestavit, trinas ipsorum onerarias mercibus onustas intercipiens. Incendio etiam Bergæ suborto, non minus illic Lubecenses passi detrimentum, verum longè majorem toti perniciem Norvegiæ, regni optimates ex mandato Regis Hafniam profecti, conciliarunt. Etenim XXV. Julii, Christiernum Johannis filium parenti designant successorem in Norvegiæ throno; Qui hæc deinceps occasione, tantam regno huic induxit calamitatem, quantam posteris etiam hodiè, citra spem melioris fortunæ, lamentantur.

Vastenenfes porrò cœnobitæ, apparatus hæctenus studiosè admodum



annis IX. translatione S. Catharinæ, & modò quibuslibet rebus ad eam necessariis probè consummatis, ad ipsius solennitatem Præsules & Proceres amicè invitarunt. Qui proindè Calendis Augusti, advenerant Vastenum frequentissimi cum Danorum & Noricorum plurimis, Sueciaque Archimyſta negotii facturis initium, quartâ post meridiem horâ, cum V. regni Episcopis Ecclesiam cœnobii ingreditur, quorum confessu, aliorumque de Clero Scandico plurimorum, Doctor Jacobus Gislonius, binis peroravit horis, sanctos Dei ab ipso recensens mundi exordio, donec ad Beatam descendisset Catharinam. Deindè Archipræsul cum collegis chorum intravit monachorum, ubi effigiem S. Catharinæ, admirabili depictam artificio, inauguravit, & illius veneratoribus, XL. annorum indulgentias donavit, totidemque reliqui largiebantur Antistites,

Decantatis vesperarum precibus, hospitia repetunt, & postridiè regressi Præsules, in grandi hominum frequentia ornatissimè sacris induti vestibus, sepulchrum D. Catharinæ accedunt, campanis & cantu aures, atque nares suavissimâ thuris fragrantia, delectantibus. Mox patefactum ingressus tumulum Archiepiscopus, ossa loculo imponit argenteo, præter calvariam, mandibulas & radios brachiorum, quæ preciosis inclusa seorsim thecis, Governatori, ac tribus perferenda tradit Episcopis, solennemque hoc ordine instituit supplicationem. Inprimis procedunt Monachi, hos Canonici sequuntur, horumque insistant Antistites vestigiis, cum Archipræsule, Eucharistiam in aurea gestante hierotheca, quem ponè graditur Steno, cranium Divæ bajulans, & tandem regni Senatores cum oculis S. Birgittæ ac S. Catharinæ, clausurant agmen.

Ex hoc reversus processu Archiepiscopus, per Ecclesiam & cœmeterium instituto, sacris operatur solenniter, & Lincopensium Antistes, vernaculè sesquihoræ spacio concionatur, ac ita per triduum horis antemeridianis, officio vacatur Divino, & pomeridianis aliquot epulatur. Si quidem Antistita cœnobii, Archipræsulem atque Stenonem, cum Episcopis & Senatoribus, Cleroque, ac convenis universis, octiduo excepit convivio, in splendidis extra monasterium incliniis, & abiturientes donaverit primarios hujus festivitatis cooperarios, aureis, argenteis & aliarum rerum mnemosynis. Hæc octo primis Augusti diebus contigerunt Vasteni spectacula.

Verùm in cœnobia Danorum Ottoniensi, vehementer interim corrixantur monachi & canonici, his loco ac bonis cedere abnudentibus. Johannes autem sequester à partibus & arbiter delectus, tribus ante Nativitas Domini septimanis, asceterium cum prædiis adjudicavit cœnobitis.

Ecclesiasticis in Sueonia quoque negotiis invigilat Steno promovendis, qui colosseam illam, opere moleque admirabilem, templo Stocholmensium primario dedicavit statuam, quæ S. Georgium equo insidentem, & draconi bella inferentem, dexterrimè pulcherrimeque repræsenterat.

Anno MCDXC. Fridericus suam de Holsatia nactus portionem, V. Januarii, nonnullam sibi arrogat jurisdictionem in Norvegiam, hujusque ideò occæpit se scribere hæredem, Norvegis indignantibus, & regnum esse modò electitium asseverantibus. Hinc nihilominus adepti occasionem, tali etiam hodiè fruuntur titulo Holsatiæ Principes. Sic autem fratre contento reddito, Johannes cum Anglorum Rege, post diuturnas utrinque dissensiones, XX. Januarii, pacem quoque inivit, & fœdus in hostes, Anglis Ludosiæ quædam concedens negotiationis privilegia, quamvis ad Sueciam, non Daniam, illa spectaret in Vestrogothia civitas. Tertia deindè Februarii die, Rex dimidium pactus spoliatorum, Axelio pira-



piraticam in Lubecenses continuandi facit denuò potestatem, cum illis super occisione non transacturo ullatenus paternâ, suum citra consensum.

Appetente veris tempore, cognoscens Johannes, Stenonem prægrandis intentum classis molitioni, & Gotlandiæ subverens impugnationem, animum illius per nuncios exploravit. Steno autem de hac certior factus Dani formidine, Calendis Majis, hunc ei metum eximit, pacem ipsi spondens per literas Enecopiâ, dummodo illum cognosceret ejusdem quoque studiosum. Id verò palàm mox Johannes affirmat, & clam Sueones nihilominus ad defectionem à Stenone sollicitat, ipsiusque, & sectatorum captivationem. Quamobrem Steno, tam insigni Regis perfidiâ deprehensâ, in ipsum renovat fœdus cum mercatoribus Vandalicis, Dano propter abrogata sapius privilegia, ac permissam Axelio in Lubecenses piraticam, oppidò infestis.

Cognatus porrò Stenonis Gustavus, qui sceptrum Sueciæ Danis penitus extorsit postmodum, & cùjus illustrißima progenies isto etiam usurpat avo, in arce nascitur Lindholmensi, XII. Maji, galeam in capite membraneam, & rubicundam in pectore crucem, de utero proferens materno, hisque palàm faciens prodigiis, in quantum evasurus esset heroem. Habuit ille aviam Stenonis, & proaviam Caroli Regis, sorores, abaviamque Margaretam, Valdemari I. Danorum Monarchæ gloriosissimi, trineptem, ita nobilissimum derivans genus non solum à potentissimis vetustissimisque Scondiæ Regibus, sed etiam totius Europæ Principibus, prout efficaciter veraciterque meum Genealogiæ Suecanæ demonstrat theatrum.

In primas quoque lucis progenitus auras Lincopiæ, Olaus Gothus, Johannis ante biennium nati germanus, qui suo plurimum honoris conciliavit natali solo, per eximiam de ritibus patriis libri publicationem, exteris adeò grati nationibus, ut illum multæ in suum transtulerint passim sermonem, assidueque lectitent.

Præterea isto moratus in Scandia tempore, Raimundus Pyrandus, Sedis Protonotarius Romanæ, Referendarius Innocentii VIII. domesticus, & Nuncius, Archidiaconus Alnifiensis, ac SS. Theologiæ Professor, non modicum bello in Saracenos gerendo, indulgentiarum promulgatione contraxerat nervum. Illius autem vice has per Sueciam, Doctor Jacobus Gislonis, publicus Theologiæ in Academiâ Professor Upsalensi, circumferens indulgentias, nocte quadam flammis fortuitò subortis consumitur, cineresque de Loftadio incendii loco Upsaliam perlatis, in basilica conduntur.

Anno MCDXCI. Steno laboris pro patria defatigatus magnitudine, ac quorundam popularium, inductionem Johannis, in Reipublicæ perniciem continuò machinantium, provocatus ingratitude, Telgæ in Ordinum frequentia se abdicavit regimine. Verum à Statibus regni ad illud vehementer sollicitatus recipiendum, defessos submitit iterum humeros gubernationi, secundasque suo impetraturus gubernaculo à superis auras, in his decernit comitiis, primam Cartusianorum in Sueciâ propagationem, ac Grypsholmensis fundationem cœnobii, Mariefred appellandi. Quibus tamen nonnulli sentiunt monachis, primam in Suartesiœgenfi apparatus insulâ mansionem, indeque majoris ergò commoditatis Gripsholmium translatis fuisse, quod Gustavus illis postea eripuit, asserens invito extortum fuisse parenti suo, ejusdem legitimo hæredi.

Itaque Danus admodum indignans Stenoni clavum, hoc conventu repudiarum, esse restitutum, & considerans suas optatum praxes non habituras eventum, quamdiu cum Vandalicis confederatio urbibus, Sueones



animaret. Propterea mense Novembri, Lubecensibus ad colloquium vocatis, quibus Sueonum præcipue imputavit rebellionem, merces restituit ablatas, & negotiandi pristinam in Dania Norvegiaque libertatem, hoc ipsos pacto, sibi aliquandiu devinciens.

Anno MCDXCII. Cæpit Johannes Moschoviæ Dux, arcem de suo vocatam nomine Ivanogrodium, ex oppositu Narviæ moliri; Quando cum illo Danus constituere fœdus in Sueones deliberat. Profecto quod tantoperè fatigent se identidem Reges Danorum, pro regni Suetici recuperatione, ut etiam hujus gratiâ cum schismaticis & barbaris pacisci non vereantur Principibus; contra verò quod Sueones omnibus reluctentur viribus Danorum societati, argumento nobis est clarissimo; Danos plus ex colligatione regnorum commodi percepisse, quàm Sueones, hosque servos, illos dominos sub unione Scondianorum exstitisse sceptrorum.

Anno MCDXCIII. Præpositus Roschildensium, Legatus à Johanne in Moschoviam transmissus, Oratores Moschi secum in Daniam adduxit, quibus amplissimas spondit Rex ditiones Finlandiæ, nimirum Egrepe, Lasche atque Savalaciam, Moschoviæ Principi subjugandas, si subsidio illius Sueciâ potiretur. Illud verò promptè Ducis nomine promittunt legati, simulque rogati, nè Lubecenses Sueonum confœderatos in Moschovia tolerent negotiantes, suam Dano pollicentur simul operam, & per Norvegiam properant in patriam. Nec contentus hoc Johannes fœdere, firmiter multò pangit V. Maji die, cum Jacobo Scotorum Rege, fororis filio in hostes perpetuum quoslibet.

His proindè Johannes animosior effectus, Sueonibus cladem minatur horrendam, ni quantocyùs se throno dignarentur, à Danis Moschisque inferendam. Verùm his nequaquam moventur minis, quorum etiam permulti, antea Johannis faventes promotioni, nunc impio cum Moschis ipsius cognito fœdere, illum maximoperè detestantur. Interea Moschus arma parat in Sueones, & imprimis Lubecensium in Moschovia negotiatores crudeliter mulctat; mercibus spoliatur, captivatque. Quamobrem Lubecenses, & focii Vandalicarum urbium inhabitatores, tantà Johannis perfidiâ offensi, novum, longeque stabilius cum Suecis ineunt fœdus in Danos, iis necessarium spondentes commearum, belli pacisque tempore importandum, atque statuentes cum hoste nequaquam transigendum, citra liberum utriusque partis assensum. Et quidem horum accessione fociorum, non minùs audaciæ accrevit Stenoni, quam Johanni nuper ex Scoti & Moschi confœderatione, hos impostero minimè formidanti adversarios.

Denique XXI. Novembris die, Lubecensium Præful, ex commissione Imperatoris, Johannem & Fridericum feudo investivit Holfatiæ Stormariæque.

Anno MCDXCIV. Moschus ex pacto cum Danis contracto, Sueonibus in Finlandia clades intulit maximas. Steno autem domi formidans Johannis irruptionem, integrum regni exercitum contra Moschos educere consultum non arbitratur. Nec minùs illum à subsidio Finlandis adferendo, plures diadematis Suetici distrahunt competitores. Siquidem Fridericus Holfatiæ Dux, illud germano invidens Johanni, & Ferdinandus, Cæsaris Maximiliani filius, se perveteri Sueticorum Regum profapiâ ortum comprobans, Stenoni certatim literis, muneribus & promissis destinatis, sceptrum Sueciæ captaverint. Sed cum Johanni potiore id jure competeret, consilio Senatus, Legatis ad ipsum III. Maji expeditis, colloquium Ludosiæ feriis habendum Pentecostes, de controversiarum transactione, ac Regis inductione, Gubernator obtinuit.

Unde



Unde Fridericus spe suâ frustratus, à iratre, totius Scandiae dominium assecuturo, poscit Lalandiam, Falstria atque Mœoniam, Daniæ provincias, sibi velut regio filio, quondam aliis Regum liberis concessas, in feudum attribuendas. Et quod esset repulsam passus, usque fertur indignè mater tulisse Dorothea, Friderico magis quam Johanni propensa, huicque insuper aliis de causis offensa, quod gallinaceo Johannem jusculo venenis condito, necare tentaverit. Quo tamen acognito non ad mortem sed insaniam redactus solùm, pro mentis integritate recuperandâ, votivam pedibus suscipit nudis peregrinationem, ad sacrosanctum Sternbergæ cruorem. Ità Laurentius Arosiensis hanc memorat historiam, ast secus fermè illam recenset Huitfeldius.

Hanc propter Regis infirmitatem, Ludosienfi non procedente colloquio, Sueones mense Augusto Stocholmiæ congregati, regno iterum consultissimum censent, ut censuris liberetur Romanis, belloque cum Danis & Moschovitis, Johannem sanitati nunc restitutum, Suetico tandem ornare axiomate, modò constitutionibus anni MCDLXXXIV. non reluctaretur, & hoc super negotio ad proximum Junii XXIV. diem, Calmarniæ alium frequentare conventum. Quocirca Dani, voluntate Sueonum perceptâ, idem approbarunt, Norvegique, colloquium.

Anno MCDXCV. Johannes frequentissimâ instructissimâque Calmarniam versus classe navigaturus, ut Sueones in colloquio suæ redderet voluntati obsequentiores, Moschis Finlandiæ mandat infestationem. Hujus autem Steno fraudis ignarus, non apparatus Regis adventantis, haud imparatior Calmarniæ obvertit proras, adverso nimis diu vento detentas. Interim Johannes ipsum in sinu præstolans finitimo, aquis & flammis nonnulla perdidit navigia, quorum uno thesaurus, & documenta, conventui admodum necessaria veherentur; illoque tantoperè consternatus inæstimabili detrimento, ut omni Sueciæ in conventu obtinendæ abjectâ fiduciâ, in Daniam mœstissimus remearet. Quam, velut & Norvegiam, nè Sueones hinc occasionem invadendi captarent, Legatis Rotnebygiæ post se relictis, mandat à Stenone adveniente, XXX. annorum inducias impetrare.

Ita vindicavit Deus perfidiam Regis, contra fidem in Sueones instigantis Moschos, qui tempore conventui deputato, cum CD. populantur armatis Finlandiam. Verùm principio Augusti, Calmarniam Steno, hujus nescius adhuc cladis, cum Senatu appellens Suetico, infortunium Johannis libenti cognoscit animo, indeque audacior & contumacior factus, expeditis ad illum literis, se ad bellum atque pacem ex æquo paratum denunciat. Sed Regis interea Legati eum convenientes, pacem orant, sub XXX. annorum induciis continuandam, & unius tantum anni obtinent, conventusque assensum, Ludosiæ proximo nati Baptistæ festo celebrandi, quo materies omnis discutienda & finienda esset controversiâ.

Quod verò prolixioribus non consentiret Steno induciis, & Sueonum plerique & Johannes acerbius tulerunt, hic etiam denuò Moschum Steno ni objiciens. Qui XXI. Septembris die, Viburgum Careliæ propugnaculum, tot hominum millibus obsedit, ut castra XXX. millibus passuum in circuitu urbis protensa haberet. Quæ hostis potentia, ubi percrebuit in Sueciâ, lætitiâ Stenonis ingenti commutat mœstitiâ, serò tandem pœnitentis, non admissæ Danorum petitionis; haud tamen animum despondentis. Enimverò Lubecensibus extemplo rerum suarum manifestans statum, orat, ut Danum tantisper distinerent, quoad ipse Moschum obtereret, non diu, neque difficulter compescendum. De-



indè cogit amplissimas copias, classemque navium eximiam, quæ portu ipso, XXVIII. Octobris, gravissimum patitur à tempestatibus detrimentum. Denique cum eadem nihilominus Oceanum ingressurus, à Jacobo Archipræsule, labarum poscit S. Erics, contra hostes producendum schismaticos, illo facilius adminiculo superandos; Quod, literis de salvâ datis restitutione, impetratum, bini Canonorum reverenter Upsaliâ deportarunt Stocholmiam. Hic autem cum solenni portatum supplicatione, ex templo S. Claræ, in Ecclesiam Divi Nicolai, genibus Steno innixus, de arâ S. Georgii religiosè acceptavit, & XVIII. Novembris, cum illo Finlandiam versus navigavit. Sed adverso detentus vento, Abogiam anno exeunte primum attigit, præcipuâ exercitus parte tempestatibus in Sueciam repulsâ, & frigore etiam compulsâ.

Interea Viburgum Moschus, paucis firmatum præsidio, gnaviter impugnavit, ac erumpentibus truculenter profligatis, turribusque aliquot prostratis, XXX. Novembris, scalarum adminiculo illas occupavit, indeque descendere conantem in civitatem, heros ille famosus & bellicosus nostratium ductor, Canutus Possè, horis VII. animosè repressit. Ac tandem funesto sub turribus fumo excitato, plurimos hostium ex superioribus illarum tabulatis acriter pugnantem, suffocavit, fugavit, obsidioneque urbem liberavit, Moscho post triduum indè castra sub Olufsburgum promovente, ubi successum nactus similem, DCCCC. suorum amissis, in Russiam festinavit. Hanc porro Sueonum Steno cognoscens Abogiæ victoriam, gratiis Deo persolutis, militem in hybernis per Finlandiam dispergit, præter LXX, cum prænobili viro Canuto Caroli, ad defensionem Olufsburgi destinatos.

Interim Dorothea, Johannis & Friderici mater, XXV. Novembris, vitam commutans morte longævam, Roschildiæ ad latus maritorum tumulatur. Quando suburbium australe Stocholmensium, cum non modicâ ipsius portione urbis, conflagravit.

Anno MCDXCVI. Moschus nuperam vindicaturus cladem, initio Februarii, Finlandiam per LXXX, crudeliter devastat milliaria, VII. hominum millibus illic trucidatis. Itaque Steno quantocyus militem ex hybernis advocat, simulque plebeculam Alandiæ ac Finlandiæ, armis idoneam, & XXIV. Februarii, XL. armatorum millibus stipatus, Abogiâ egreditur. Sed XXIV. progressus milliaria, quod hostis nusquam compareret, in Moschoviam reversus, atque regio in solitudinem redacta, comneatum militi non præberet, eum tristissimus Abogiam reduxit. Quem Suantoni Sture commendatum, ad hyberna remisit, & ipsemet paucis ante Pascha diebus, in Sueciam remeat, post mensem copiosiores adducturus copias, in desolationem totius Moschoviæ, quam propterea prohibet ante suum invadere reditum.

Quocirca domum veniens, Ordines regni convocat Stocholmiæ, quorum assensu quintus colonorum quisque adscribitur militiae, contributio indicitur, & de colloquio Ludosiæ cum Danis propediem habendo, discordibus differitur sententiis. Quandoquidem nonnulli præfulum, fulmine territi Romano, & quidam procerum irretiti amore Dano, Regi clam in conventu deputandum contenderint, quem Steno, totius propemodum regni suffragiis subnixus, sibi relinquendum asserbat. His tempus dilabitur contentione; conventus non invisitur, & profectio Stenonis (qui adversariorum in suâ timet absentiam insidias) per quadrimestre temporis spacium protrahitur.

Interim sub Julii finem, Moschus ex Danorum machinatione, Bothniam populatur orientalem, indeque Suanto indignatus, & Stenonem fru-



frustrà hætenùs prætolatus, principio mensis Augusti, hosticum binis armatorum millibus vicissim infestat, & Ivanogrodium impugnat, ac tandem expugnat, spoliis illic amplissimis, & CCC. captivis acceptis, castrum deindè vacuum, quod nimis foret à Suecia distitum, ordinis Magistro Crucigeri præsentat emendum, illoque propter pacem cum Moschis initam, abnuente, tectis flammis subdit, & Finlandiam repetit; ibique militis reditum flagitantis importunitate, nuditate, atque victualium tenuitate compulsus, se accingit Sueticæ cum illo profectio.

Intermedio Gubernator tempore acceptâ Optimatum cautione, quod sibi absenti nihil esset discriminis à Johanne formidandum, autumnii primordio, cum CXXX. navium classe, plurimisque militum cohortibus, in Finlandiam velificat. Quò perveniens, Suantoni, & commilitonibus reditum parantibus, suadet, ut secum repeterent hosticum; ampliora promittit salaria donariaque; & reluctantes minis corripit; ac tamen nihil proficit, etiam plerisque nunc eò deductis simul postulantibus reversionem. Proindè omnem hujus rebellionis culpam, Suantoni adscribens, ipsum factionis ac prodicionis in patriam hoc pacto admiffæ, vehementer incusat, illoque irâ tumido, cum factiosorum turmis redeunte, ibidem Steno cum residuis mansit copiis. Quibus limitaneas firmat arces, & cæsis in circuitu Finlandiæ nemoribus, hostili conatur irruptioni ponere obstaculum. Immò ut Dani vires, Moscho plurimum triumphantis, commodius elideret, decrevit postulas hosti assignare ditioes Finlandiæ, & hæc super re consulens Sueciæ Archiepiscopum, consensum non obtinuit. Quippe totius nomine Senatus respondit, nihil illic hostibus concedendum, nec domi Regis molitiones timendum, securè rebus Finlandiæ nimium afflictæ, aliquandiu Steno invigilaret confirmandis. Nihilominus tamen Gubernator his non fidens promissis, cum provinciam utcunque ordinasset, in Sueciam anno exeunte revertitur.

Anno MCDXCVII. Senatus Sueonum à reverso accitus Gubernatore Stocholmiam, senis ante Pascha septimanis, illic comparuit. In cujus Suanto confessu, de imputatis sibi nuper à Stenone questus criminibus, innocens declaratur. Et animadvertens Steno Archiepiscopum cum Episcopis, & nonnullis regni proceribus, Johannis moliri contumaciùs inductionem, tribus abstinuit hebdomadibus illorum congressu; in acropoli se continuit, ac suum ex Finlandiâ militem reditus clam admonuit. Sed Optimates fraudem subodorati, ante copiarum adventum Stenonis impetrare colloquium studuerunt, qui tandem persuasus, acceptâ fide publicâ, XX. ante solennia Paschatis die, in domo urbis prætoriâ comparuit. Illic Senatus prolixâ demonstrat oratione, patriam Rege diutiùs posse nequaquam carere, idque propter intolerabiles ex Italiâ censuras, & formidabiles belli cum Danis atque Ruthenis curas; Prout etiam, quod Steno inconsultis plerumque gubernans Proceribus, Rempubicam gravibus afficeret detrimentis; cujusmodi esset, quòd Finlandiæ vasallum non deputaverit, quî continuo illic præsens, ab hostium irruptionibus provinciam conservare posset immunem.

Contra Gubernator, sua in patriam exaggerat beneficia, simulque Principum in eam externorum maleficia, quos ea propter vulgus nollet ullâ sibi ratione amplius dominari; Et præsertim Johannem, qui pacta deseruisset; jus Sueonum in Gotlandiam violenter arripuisset; nec ullam justî Principis præbuisset Suecis imaginem. Ipsum quoque Senatum accusat ingratitude, quòd clavum tyrannis à se ereptum, tot periculis atque expensis molestisque, longo tempore defensum, nunc sibi statuisset auferre, hostique patriæ jurato illum conferre. Nihil-



hilominus tamen se gubernatione cogitur abdicare, quæ Archipræsuli, & Suantoni, binisque aliis commissa Proceribus, ac Stenoni protectio, & feudorum collatio, promissæ, Stocholmensisque arx, poscenti diem in sequentem permiffa fuerunt. Verùm ille fraudulenter nullo aduersariorum comitatus, in ipsam evadens, ac postridiè suas ex Finlandia turmas assequens, eandem, Sueciæque regimen sibi denuò vendicavit.

Proceres autem foris in urbe constituti, omnem ipsi renunciant obedientiam, Archipræsuli adhærentes, Johannis promotioni addictissimo, & Stenoni, ob plurima beneficia ingratisimo; Tandemque inducias cum illo approbant, ad XXIX. Julii diem prorogandas, quando in frequentia omnium Ordinum hæc decidenda esset controversia. Deindè Steno multis stipatus cohortibus, regnum oberrat; incolas sibi reconciliat; ipsos à Proceribus alienat, Danum introducere machinantibus; seque in imperio prudenter confirmat, consilio utens Hemingi Gaddii, oratorem Sueciæ, & protectorem in curia Romanâ modò agentis. Hunc ideò tanti fecerat virum, & propter insignem annis multis patriæ operam domi forisque impensam, ut filii eum nomine dignaretur, & sua ipsi deputaret insignia, tribus regni aureis pariter coronis decorata.

Alexander VI. ab Hemingo etiam persuasus, suo velut cubiculario, licentiam, XVI. Julii, concessit Lincopensi, Scarenfi & Abogensi, Episcopis, corpora B. Nicolai, B. Brynolphi, B. Hemingi, quondam ibi Præsulum, & B. Ingridis monachæ Scheningensis, quòd signis coruscarent, exhumandi, & honoratori loco in Ecclesiis collocandi, donec illorum liceret canonizationi manus admovere.

Senatus interim Stenonis positurus obstaculum molitionibus. Johannem in Sueciam invitat, eique pollicetur auxilium. Qui plurimum isto gavisus nuncio, in comitiis Hafniæ celebratis, bellum Stenoni decernit inferendum, & misso protinus ad ipsum diplomate clarigationis, illud denunciat. Quod Steno Telgæ circa festum Paschæ à feicali Regis acceptum suppressit, & semet nihilominus pro regni gubernatore, ac maximo æmulorum persecutore gessit. Quibus ideò periclitantibus, Johannes tempestivum laturus subsidium, ex illis commodam hostis impugnandi sciscitatur rationem, suadentibus, classe oceano immisâ, commeatus ex Vandalicis urbibus prohibendam esse importationem; Gothiam australem, obsidendo Calmarniam; & Gothiam occiduam, Elsburgum oppugnando, principio infestandas.

Cupiens verò Archiepiscopus, hujus princeps conspirationis, citra sanguinis profusionem, tranquillitati patriam restituere pristinae, Johannis ad thronum promotione, crebrò Stenonem pacis admonet, atque ipsum ad colloquium secum, & cum reliquis instituendum Consiliariis, familiariter sollicitat, abnuentem prorsus, nisi pro Gubernatore susciperetur, ac introitum illis Stocholmiæ denegantem. Quamobrem illi hæc super re securius consultaturi, in Stechensi congregantur arce, quos illic Steno arctissimâ ligat obsidione, sub initium æstatis; Episcopium Upsaliæ cremat direptum; Oerebrogiam Suantonis impugnat; Henricum Ostrogothiæ Præsulem captivat; aliasque aduersariorum infestat munitiones & ditiones.

Nec isto perturbatissimo Sueciæ statu, Johannes tristatur, ita non dubiam illius obtinendæ spem concipiens, & frequentissimas ex Dania, Norvegia, Germaniæque cogens sagaciter cohortes; quarum aliquot millia navibus imposita, pelagus in Sueonum perniciem obvagantur. Ast reliquis obsidet copiis Elsburgum VIII, & XIX. Julii Calmarniam. Literis etiam simul impugnaturus Sueones, plurimas unius tenoris curat Hafniæ imprimendas, quibus hortatur illos ad subjectionem sibi sponte deferendam, & si quid hæc contingeret sibi humanitus expeditione, certio rem Christierni filii successio-



nem in Daniae throno redditurus, Ordines permovet ad novum sibi præstandum hujus nomine juramentum, & mox hilarior se accingit profectio Calmarniam.

Hanc verò attigit XXII, deditam obtinet civitatem, XXVII, & XXVIII. Julii, munitionem, hocque die terni Johannem Calmarniae accedunt Sueciae Optimates, à Jacobo destinati Archipræsule, cæterisque in Stechio oppugnatis, gratulantes ipsi successum belli; assignantes Borcholmium Oelandiae; Stegholmium Tiustiae; Oerestenum Marchiae; & Oerebrogiam Neritiae; fidelitatem suo ac sociorum nomine, spondentes, operumque illius flagitantes. Itaque cum necessitas moram non pateretur, postridiè cum maritimis Suecos remisit bellacissimis Rex copiis, & post octiduum plures submisit, quæ in faucibus convenientes Stocholmensibus, sub Stechium festinanter contendunt. Quarum potentiae Steno compulsus cedere, cum suo inde paululum divertit exercitu, ad pontem Rotensem, ut illic milite factus instructior, hostem oportunius exciperet.

Sed hostis citius opinione abeuntem insequens, secum acceptis Proceribus, in Stechio liberatis, XVII. Augusti, Stenonem ex occupatâ profligat statione, & Stocholmiae refugium captantem, post triduum denuò impugnat, castris in circuitu firmatis. In urbe verò X. millia sub signis habuit Steno militum, & nuncio in Dalecarliam expedito, XXX. millia pedum inde præstolatur affutura propediem. Quibus tamen non expectatis, quodam die hostes in suburbio castrametantes australi, per temerariam aggressus eruptionem, cum nonnullâ suorum clade in urbem repellitur ab alienigenis & indigenis, quorum plurimos Antistites & Proceres Dano faventes, sub propriis illuc adduxissent vexillis. Quo prospero martis successu, Johannes illectus, XXIV. Septembris, Calmarniâ pergit Stocholmiam versus, & pugnacissima Dalecarlorum agmina, cum binis solum abessent milliaribus à Sueonum Regiâ, literis occultè ad Governatorem transmissis, modum hostes impugnandi sciscitantur. Qui adventu illorum vehementer exhilaratus, per nuncium mandat iis remissum, ut festo Michaëlis Archangeli die, qui fatalis & funestus Sueonum solet esse Principibus, hostem à tergo invaderent animosè, quem ipsemet à fronte sibi desumpisset impugnandum.

Atqui tabellione ab exploratoribus intercepto, hostibus proditur Sueonum machinatio, hancque præventuri, & Dalecarlos prius oppressuri, XXVII. Septembris, sub noctem summo ex castris abeunt silentio, & in ipso diei sequentis diluculo, non impavidas Dalecarlorum cohortes, ad pontem aggrediuntur Rotensem. Etenim insperatum animosè hostem excipientes, dubiam aliquandiu reddiderunt victoriam. Quam testimonio etiam Danicorum scriptorum, reportassent, si auxiliares habuissent copias equestres. Verùm Dalecarli his destituti, pedem referre coguntur, aliquot suorum desideratis, quem à medio tamen figunt milliari, ex fugâ collecti, hostem illic, si averfos insequeretur, commodius oppressuri.

Sed Dani à victis, & Stenone forsitan ex urbe, cognitâ hostium absentia, erupturo, sibi metuentes, prosecutione supersedent, & XXIX. Septembris, reduces Stocholmiae appropinquantes, fraudis quâdam machinatione, signa nostratibus erepta, per cohortes præmittunt prodromas, & quod confiderent, evenit. Siquidem Steno conspicatus ex civitate volitantia Sueonum vexilla, ratusque socia ex pactis die constituto adesse agmina, turmatim erumpit, & in medios delatus hostes, primò se delusum agnovit, ac quanto cyus urbem repetens, multos commilitonum amisit, ab insequente cæfos hoste, aquisque submersos. In quas & ipsemet de ponte trusus, beneficio cujusdam navicularii, se cymbâ excipientis, salvus evasit.



Hoc tempore Johannes, ad victricia sub Stocholmiâ perveniens castra, ob geminam suorum triumphat victoriam, uno die partam. Nam & XXIX. Septembris, Elsburgum post diurnam se dedit obfidionem; Hanc tamen perturbavit lætitiâ, quòd reliquæ difficulter de manibus Stenonis viderentur extorquendæ munitiones; quòd passim in regno populus turmatim Danos profligaturus concurreret; insidias ubique frueret; exercitus Dalecarlorum, concursu aliarum gentium cresceret; commeatus castris, quæ prægrandis diu afflixisset fames, non importaretur; quòd hyems instaret, nulla spondens ex Oceano subsidia, vel reditum promittens navalem, aut terrestrem securum; quòd nervus belli deficeret, & miles importuniùs salaria flagitaret residua.

Itaque suorum suafu Consiliariorum, amicas cum Stenone decrevit Johannes experiri transactiones, & consensu illius, præsentem belli quoque formidantis aleam, impetrato, IV. Octobris die, per quosdam Sueciæ ac Daniæ Optimates, in cœnobio monachorum insulano, inprimis cum eo de spontaneâ throni agit resignatione. Ac placidum nactus responsum, postque meridiem in monasterio virginum suburbano, ipsemet cum Stenone collocutus, blandissimis verbis, & aureis promissis, clavum illi extorquet Sueciæ, his conditionibus extemplò obsignatis. Johannes regno esset potiturus Sueonum, constitutiones executurus Calmarnenses; et Steno vicissim totam habiturus in feudum Finlandiam, cum utraque Bothnia, Nycopiâ, & aliis in Sueciâ multis ditionibus, latifundiis, & civitatibus; nulli Reipublicæ administratæ, censuumve rationem perceptorum facturum; peculiari fruiturus Regis gratiâ, & omnimodam rebellionis condonationem, esset ille complicesque consecuturi; amnestiâ quarumlibet fancitâ offensioum. Postridiè autem Steno, hortatu Johannis, suorum aliquot affeclarum, in castra Dalecarlorum ablegatis, frustra iis suadere conatur Regis electionem, armorumque depositionem, cladem sociorum nuperam exaggerantibus, ac Johannem detestantibus.

Itaque VI. Octobris, Steno ipsemet Dalecarlos accessit, à quo tamen difficulter persuasi, eâ demum lege Regis subscribunt designationi, quòd Stenoni Arosiam cum Montanorum Dalecarlorumque provinciâ, gubernandam committeret. Quod licet postulatum summoperè foret Johanni suspectum, nihilominus populi cedere furori pro tempore, & novæ Stenonis connivere molitioni, compulsus, VIII. Octobris, consentit petitioni, suo, Procerumque sigillis roboratæ. His consummatis, IX. Octobris, pandunt Stocholmenfes, suorum adepti quoque privilegiorum confirmationem, Johanni urbem, & Steno arcem, publicatisque toto Regno literis, Ordines ad regiam convocantur inaugurationem, XXVI. Novembris, Stocholmiæ instituendam. Ac condicto illic tempore congregati, pridè coronationis, Johannem concorditer Regem nominant, dant, & acceptant fidelitatis juramenta, atque postridiè solenniter diademate redimitus, L. torquatos creat Equites, Stenonem suæ Magistram aulæ, ac Suantonem regni deputat Marschalcum, magnificoque universos excipit Status convivio.

Eo autem finito, querenti à suis Johanni Consiliariis secretioribus, num Sueonum defuisset quidpiam tractationi? fertur unus illorum respondisse, solam licet defuisse præsentiam, quorundam cervices Sueonum amputaturi. Verùm quod Johanni displicuit sanguinarium hominis crudelissimi consilium, filio deinceps placuit Christierno tyranno. Quem Suecorum Senatus à Rege seductus, spondet III. Decembris, successurum in Sueciæ throno parenti, & XXIV. Junii die, post sesquiannum, in comitiis



mitiis Stocholmiæ frequentandis, suis Ordines suffragiis ipsum quoque approbaturus. Porrò etiam Johannes, Senatui os sublinat egregiè, ab illo consensum impetrans pactis contrarium, Stocholmiæ, Calmarniæ ac Oerebrogiæ, ex suo Præfectos arbitrio constituendi.

Nec minùs Steno sibi passus imponi, XXX. Novembris, flagitanti resignat Johanni Arosiam, cum Montanis & Vallibus, Calendisque Decembris, regionem longè imparem consequitur. Hoccinè est pactis sanctissimè, firmissimeque initis fidem servare illibatam! Interea Johannem Daniae Primatem, de cathedra mors abripuit, quam M. Birgerus mense Junio assequitur. Is humili natus loco in Blechingia, Varbergæ, Roschildiæ, & Scaris prima liberalium artium fundamenta posuit, indeque Gripsvaldiæ lauream adeptus Philosophiæ, ludum aperit literarium Lundia; A quo vocatus ad aulam Dorotheæ Reginae, fit Cancellarius, Canonicus Roschildensis, & tandem Archipræsul Lundensis, hos scandens feliciter honoris gradus, scientiæ & prudentiæ singularis adminiculo.

Absenti autem Johanni, de Christinâ nascitur filius, XV. Julii, quem ideò Franciscum, nomine appellavit, quòd festo S. Francisci, sceptrum Sueciæ à Stenone impetravisset. Isto denique anno, versatur in Scondiâ Legatus Alexandri VI. Antonius Mast, opem cumulans pro expeditione in Turcas propediem faciendâ, quo cum hinc abeunte, Jacobus regni Primas Suetici, frequenter & amanter rogatus, unam ex dorso S. Eriici spinam, Patribus destinavit Antverpiensibus.

Anno MCDXCVIII. Stocholmenses singularem Johanni Daniam adiuturo, promittunt II. Januarii, fidelitatem, quibuslibet renunciantes pactis Regi contrariis. Deindè IV. Sueciæ Consiliariis quorum Steno potissimus, regnum Johannes commendat, & in Daniam remeat, ubi multo susceptus est gaudio, júbiloque propter Sueciæ subjugationem. Ludovicus autem Gallia Rex ob quasdam in oceano piraticas excursiones, Dano hæctenus infestus, cognitâ illius ad thronum Sueciæ sublimatione, in amicitiam fœdusque pristinum, Jacobo Scotorum Rege sequestro, rediit cum eo non difficulter. Huc etiam Rex permoturus transactionis Lubecenses, Axelio Olai, piraticam in ipsos restauranti connivet, trientem insuper spoliolum pollicenti. Atque Stenonem pariter magis in ordinem redacturus, dissimulat cum Jacobo Upsalensi, Henrico Lincopensi, Præfulibus, & quibusdam Sueciæ Proceribus, coram Alexandro VI. de illato multipliciter per Stenonem sibi detrimento, querentibus, ac facultatem poscentibus, illum hujus nomine in jus vocandi, à quo ipsum Johannes suis reddidisset literis immunem.

Sed coram Rege Procancellarius Academiae Hafniensis questus fuit de Ordinibus Daniae, suos ex contemptu patrii Gymnasii filios ad exoticas destinantibus scholas, sub gravioribus longè impensis illic alendos, quamvis in patria vixdum primis degustaverint labris artes liberales. Quamobrem Johannes, publico vetat edicto scholaribus exteras adire Academias, antequam in Hafniensi vel Upsalensi triennium studiis impendissent, hujus præcludens transgressoribus decreti, omnem ad beneficia accessum Ecclesiastica. Quo plurimum recreatus privilegio M. Johannes Schotte, Hafniensium summus Professorum, lauream Theologiae supremam capeffit. His verò, aliisque in Daniâ probè ordinatis, Johannes cum uxore sub brumæ abiit primordia in Sueoniam.

Cæterum interea Lincopensis, Scarensis & Abogensis Episcopi, bullam nacti Pontificis Alexandri VI. residuas corporum exuvias S. Nicolai, S. Brynolphi, & S. Hemingii, quâ par fuit solennitate, transtulerunt exhumatas.

Anno



Anno MCDXCIX. In Sueciâ Danus conitutus, Christinae parat inaugurationem, quam principio Februarii, solenniter Upsalix fuit consecuta. Indè autem Johanni Stocholmiam reverso, monstrant Stenonis adversarii literas Pontificis, ipsum iudicio respondere mandantes. His proindè Rex non modicum exhilaratus, XLIV. ante Paschatis solennia die, ipsemet controversiam, pro tribunali residens, auscultat, & Stenone ad immunitatem sibi à Johanne indultam, audacter provocante, animadvertens Danus cum insigni nominis sui labecula, Stenonis causam in illo periclitari foro, illum æmulis reconciliat, multo iis auro damna compensaturum, & sibi gratum pro hujusmodi beneficio futurum, nec unquam sub honestatis, nobilitatis, atque quorumlibet privilegiorum amissione, sibi aut filio Christierno, moliturum rebellionem. Quod etiam Stenonis spondent antagonistæ, a quibus, ipsoque Johanne, tali Steno nunc impetitus fraude, quali suus olim avunculus Carolus Canuti à Christophero Rege, reliquisque fuit hostibus, dolose molestatus.

Hoc etiam tempore Gustavus Erichsonius, puer octennis, Stenonem comitatus proavunculum Stocholmiam, quodam die cum suis in arce seorsim lusitabat coætaneis, & regulus ab iis jure ludi creatus, tam scienter suum obit munus, tam prudenter diversa collusoribus injungit officia, ut Johannes per rimulam hoc tacitus contemplans spectaculum, indolem Gustavi magnoperè admiraretur, & conclave ingressus, caput illi plurimum demulceret, palamque diceret ex quodam mentis præfagio: *In spectabilem tu aliquando virum evades.* Deindè quo fatus esset genere cognoscens, suis ipsum à Stenone poscit obsequiis; Qui regix non ignarus molitionis, teneram nimis pueri obtendit ætatem, & illustrem indè clam subducit ephæbum, Dano indignante, ac lupinum suis pullum cassibus ereptum dicitante.

Quarto deinceps sacratissimæ Pentecostes die, Senatus assensu Suetici, Johannes Oerebrogiam Christinae uxori, cum Nericia, Vermelandia & Dalia, pro bonis in hoc regno vitalitiis assignavit, filiumque ex Dania vocavit Christiernum, tempore comitorum Stocholmensium imminente, in quibus patri appellatus in throno Sueciæ successor, legum & privilegiorum Ordinibus promisit immunitatem. Ipso autem Natali Baptistæ, questus Rex sibi modicum de Regni censibus relictum esse, & Stenonis infestus potentissimum opulentix ac potentix, illum cogit Abogiam, Viburgum, arcemque Novam, cum ditionibus, sibi resignare. Suantoni simul, aliisque permessa, eripuit feuda, & illa Danis ac Germanis quibusdam contulit, hominibus avarissimis & crudelissimis; Quos inter fuit Johannes Falsterus, Oerebrogiæ Præfectus, qui Haraldum Pletting, Stenonis servitorem, nullius convictum criminis, mortis affecit supplicio, cum aliis non paucis. Quid multis? Johannes inconcussus in Sueoniâ suum ratus fore jam dominium, pro libitu, Proceribus inconsultis, regnum cœpit gubernare; justitiam paucis administrare; pacta non observare; census regni quoslibet in Daniam ablegare; & talem se incolis præbere, ut eos magnoperè regix pœniteret electionis, prout ipsemet quoque Rosenfontanus, alias Johannis juratus hyperaspistes, cogitur fateri.

Atque universos regni angulos, non secus ac ditissimas aurifodinas, animo scrutatus, comperit in cænobio Vastensium, nonnihil adhuc residuum de auro superesse, quod olim Ericus illi legasset Pomeranus. Ideo, XIV. Augusti, per extortam Episcopis sententiam, & illud acquisivit. Sed X. Julii, Præsules ac Proceres Sueciæ, suo ac Regis nomine, datis ad Alexandrum VI. libellis, obsecrant, ut BB. Nicolaum, Brynolphum, Hemin-gum, quondam Ostrogothiæ, Vestrogothiæ, ac Finlandiæ, religio-



fiffimos Antiftites, & Ingridem, Scheningenfium primam olim Antiftitam Sanctimonialium, miraculis inclarefcetes, albo Sanctorum plenè adfcriberet, Scondiisque permetteret venerandos. Undè Henricus Lincopenfium Præful, B. Nicolai certò proceffuram confidens apotheofin, fabricam bafilicæ ftuduit hoc anno conftummare. Interim Johannes in Daniam remeat, & Stenonem feudorum amiffione fuboffenfum placaturus, fecum illuc perduxit, belleque aliquandiu tractatum, & donatum, remifit in Sueoniam.

Anno MD. Johannes fubactione nimium inflatus Sueonum, & tot tantisque Scondiæ non fatiatus regionibus, Dithmerfiam illis decrevit adjiciendam. Proindè Friderico cohærede ditionis, in confilium & auxiliium adhibito, literis primùm Dithmerfos ad obedientiam fruflrà follicitat, fuam Pontificio ac Cæfareo afferentes diplomate libertatem, foli Brementium aufcultaturos Ecclefiæ. Proindè armis Johannes & Fridericus rebelles fubjugaturi, Februario ineunte, cum ingentibus Dithmerfiam invadunt copiis. Atque terrore primùm incolas ad fubjectionem compulfuri, in cives Meldorpii principio expugnatos, immaniter defæviunt, nulli parcentes fexui vel ætati, quam non impunitam tulère crudelitatem. Nam indè cum maximo hoftium progreffi contemptu, XVII. Februarii, viarum lacunis lubricarum, anguftiisque, fluviorum inundationibus, per fubductas à populo cataractas profufius excurrentium; horrendis cœli injuriis, imbres, grandines & nives affatim detorquentis, ac indigenarum armis copiofè animofeque occurrentium, adeò profligantur, ut trium fpatio horarum, XI. millia Danorum & Holfatorum illic occubuerint, ingentemque amiferint thefaurum, unà cum vexillo regni prætorio, Danebrocha nuncupato, & Johannes atque Fridericus cum paucis admodum comitibus, indè vivi difficulter evaferint.

Cæterùm imbelles Dithmerfi tam infigni partâ victoriâ, & adoreâ, fpoliisque acceptis ampliffimis, victricia proferunt figna in Holfatiam, flammâ ferroque illam pervadentes. Itaque Rex & Dux operam implorant fequeftam urbium Vandalicarum, quarum Legati cum Dithmerfis Hamburgi convenientes, pacem utrinque reftaurant, Eidorum Holfatos ac Dithmerfos inter, ftatuunt litem, & reliquum controverfiæ, de fubjectionis potiffimùm jure, in femet fufcipiunt, ante XXIX. Septembris transigendum.

Mofchus verò, non impetratis adhuc parochiis Finlandiæ, à Johanne fibi promiffis, indignans, crebris Sueones affligit incurfionibus. Iidem etiam domi à regis nimium divexati præfectis, & infortunio Johannis Dithmerfico animati, contra Proreges vehementer infurgunt; non fervata Calmarniæ, ac in coronatione, pacta fecum à Johanne inita, contumaciter urgent, & quidam illorum priftinam Stenoni litem intentant. De his ideò Regem Steno admonens, obfecrat, ut paucis comitatus, propter annonæ in regno caritatem, quantocyus Sueciam invifere dignaretur, hujusmodi malis tempeftivum adhibiturus remedium. Obtemperat ille momenti, eumque initio brumæ cum uxore, Proceres in colliminio, quâ par fuit dignitate, adventantem excipiunt, & deducunt in Uplandiam. Quod autem toto hoc paffim itinere, multus occurreret Regi populus, querelas illi fuas humiliter præfentans, & præfertim, quòd ingens vulgi concursus, eâdem folùm de caufâ, fieret prope Stocholmiam, ofores Stenonis indè reddunt ipfum prodicionis apud Regem immeritò fufpectum. Quocircâ Johannes his credens impoftoribus, reditum fimulat in Daniam, & populum inaudiens proptereâ dilapfum, præproperè Stocholmiam feftinat. Quem Steno aliquantisper comitatus, fibi cognofcit offenfum, & fuis confulturus rebus, illo infalutato, fe clanculum fubducit.



Ita Regiam Johannes ingressus, querelas de immerente publicat Stenone, ac Ordines ad comitia sequenti anno Stocholmiæ celebranda convocat. Quando Henricus Ostrogothiæ Præsul, vitam finivit temporalem mensē Novembri, optime sua de Episcopa promeritus, quod eximiam pro successoribus Lincopiæ, ac Vasteni ædificasset habitationem; Munchabodiam fabricasset munitionem; lapideos locis aliquot construxisset pontes; Gotlandiam quinquies ex officio visitasset, & ipsam elegantissimè restaurasset Ecclesiam cathedralem, fundisque non paucis ornasset. Singularis quoque fuerat Henricus promotor Nosocomii, prope urbem constructi Sudercopensis, eodem gaudentis privilegio, quo Xenodochium de Saxia Romanum, ac constitutiones usurpantis.

Anno MDI. Calendis Januariis, Alexander VI. perpetuum cathedræ Lincopensis administratorem constituit, Jacobum Arborensis, natione Hispanum, & Cardinalem, inscius fortè, quòd Doctor Hemingus Gaddius, de patria excellenter meritus, illam suffragatione Patrum Lincopensem, & promotione Optimatum Sueticorum, nuper canonicè obtinisset. Mensè autem Martio, inchoantur Stocholmiæ comitia, quibus sub fide publicâ Legatus adfuit Moschi, à Johanne flagitans promissas Finlandiæ regiones, & Steno etiam obtentâ adeundi & redeundi securitate, citatus illic comparuit. Qui licet coram Rege in confessu Procerum, factionis & proditiõnis à se protelaret æquis crimen rationibus, tamen quòd rogatus, an Johannem culpæ sciret alicui obnoxium, responderet pactis Calmarniæ ac Stocholmiæ approbatis, ipsum adhuc omnibus non satisfecisse, in præsentissimo fuit hîc vitæ periculo. Quippe licet in quodam arcis conclavi hâc de causâ occultatus, Stenonem illic trucidasset, nisi Optimatum Sueticorum nonnulli, se tanto opposuissent flagitio, & potissimum Conradus Sudermanniæ Antistes, qui Stenonem ovo comparavit putrido, quod integrum nulli, sed contractum plurimis suo conciliaret intolerabili fœtore nocumentum. Ipsummet verò Præfulem integerrimum, IV. Aprilis die, fata sustulerunt, illique protinus subrogatum M. Mathiam, Stregnensis Præpositum Ecclesiæ, virum nobilissimum, æque ac prudentissimum, XXVII. Augusti die, Pontifex confirmavit. Verum Steno tali se liberatum discrimine merito lætatur, & Johannes cædis consilium dissimulans, ac querelas Stenonis, aliorumque Sueonum surdâ excipiens aure, sub prætextu Danos consulendi de responso Moschis impertiendo, æstatis initio Daniam versus proficiscitur.

Itaque Steno Christierni, Eques Sueciæ illustris, quod frustra in nuperis questus esset comitiis, de quodam Regis præfecto, insigni tyranno, illum à Johannis abitu aggressus, captivat, & Dano palam rebellat. Quem rescians in itinere Johannes tumultum, aliasque passim toto gliscere reterno, propter suam perfidiam, factiones subaudiens, Stocholmiam revertitur; quò iterum vocati Sueciæ Proceres accedunt, ac illos inter Steno Sture, qui melius suæ prospecturus vitæ, Hemmingum Gaddium, Suanonem, Benedictum Ryning; & à Norvegiæ Senatu, huc pariter questum missos, Canutum Alffonium, atque Johannem Bese, sibi conjunxit, qui DCC. stipati equitibus Stocholmiam ingrediuntur. Hinc non modicus Dano incussus fuit timor, & quod Steno Christierni accitus venire abnueret, largamque rebellionis pergeret sementem ubique spargere, Thurone Joannis contra se expedito, audacter profligato, & Canuto Eschilli male tractato.

Quamobrem Johannes huic frigidam affusus incendio, simulat se gravaminibus Ordinum satisfacere paratum, mandatque illa proponere, quorum plurima Jacobus Archiepiscopus Sueonum nomine, ac Canutus Alff-



Alffonius Noricorum, adduxerunt. Quæ Rex subdolè rejicit ad conven-  
tum, X. Augusti, habendum Calmarniæ, impellens Senatum, ut publica-  
tis per regnum literis, suaderet populo interim regiis auscultandum esse  
Præfectis. Tam impudenti autem Regis fraude vehementer Sueci & Nor-  
vegi offenduntur, ac præsertim quòd in Proceres, die quodam Reginam  
officii gratiâ ex templo urbis castrum versus comitantes, tormenta di-  
rexisset, arceque exclusisset. Clam insuper iidem de insidiis sibi positis à  
regio morione admoniti, exulceratis domum indè animis dilabuntur, præ-  
ter Archipræfulem, qui cum grandi patriæ incommodo, Johannis semper  
adhæsit partibus. Quo cum Ingemarum Smalandiæ Antistes, in præfato  
Stocholmiæ conventu, de his Vexionensi cathedræ iterum subdendis terri-  
toriis, Vesbogensi, Osbogensi, Sunderbogensi, Ostraherensi aa Vestrahe-  
rensi, disputavit, Alexandri VI. bullam super illis sibi transmissam exag-  
gerans.

Sed Sueci & Norvegi hinc digressi, in juris ac privilegiorum cõn-  
jurant defensionem, hique in patriam reversi, cum aliis regiam detestantibus  
perfidiam, defectionem à Johanne moliuntur. Eandem cognoscens  
Johannes machinari palam Suecos, quorum antesignani essent Steno, Suan-  
to, Gadius, & Benedictus Ryning, suis ipsos literis ab illâ blandè admo-  
dum dehortatur. Quibus nostrates Sudercopiæ sub Julii finem responden-  
tes, exprobrant Regi acta nuper Stocholmiæ, ac omnem ipsi renunciant  
obedientiam, nisi pactis quantocyùs satisfaceret. Atqui furdo canunt fa-  
bulam, ideoque Vasteni principio Augusti convenientes, arma pro liberta-  
te patriæ decernunt corripienda, regiis vetant Præfectis obedire, ac Jo-  
hannem has ob causas, literis illic comprehensas, & ipsi transmissas, pe-  
nitùs repudiant. Inprimis quòd pacta Calmarnensia & Stocholmensia, li-  
teris atque juramentis roborata, non esset executus; controversiæ super  
Gotlandia, Schordaliâ, & Suartaviâ, juris denegaret processum; regni offi-  
cia feudaque Sueonibus injustè ablata, conferret alienigenis, inhumanissi-  
mè incolas discruciantibus. Deindè quòd Sueciæ proventus in Daniam  
expediverit; ærarium Reipublicæ ità exinaniverit; monetam non signave-  
rit emendatiorem; vexillâ in conflictu capta Rotebrogensi, in Sueonum  
curaverit despectum, templo suspendi Hafniensium; denique quòd cre-  
bris distinuerit & illuserit solùm Suecos conventibus, interim suæ captans  
occasionem fraudis promovendæ, nullamque verbis aut literis fidem serva-  
verit. Proindè cum nullo jure diutius pactorum alligentur observationi,  
quam Rex iisdem adhæreret, illaque ideo liberam facerent Ordinibus Sue-  
ciæ potestatem, transgressori, citra criminis notam rebellandi, se jugum  
licite Danicum excutere asseverarunt.

Johannes his Sueonum acceptis literis, IX. Augusti die, suam decer-  
nit in Daniam profectionem, indè militem adducturus in rebelles, &  
uxoris remansionem, ut ex ipsa grava modò existimata, progenitus  
fortè filius, velut indigèna Suecis acceptior fieret Princeps. Stocholmen-  
ses prætereà, novo ab illis extorto juramento, sibi magis obligat, acro-  
polim M. firmat præfidiariis, & XI. hujus mensis die, tribus versus  
Daniam solvit navigiis. Post abeuntem verò Regem, quidam Senato-  
rum ipsi faventium, literis protinus ad Daniæ Consiliarios expeditis, tur-  
bas Sueciæ significant; illorum sibi & Johanni subsidium implorant.  
Qui hac de causa subito congregati, Stenonem Sture, & sequaces, prin-  
cipio Augusti, ad canendum receptui, ac secum Vasteni sub finem men-  
sis colloquendum, de litigii compositione frustra hortantur.

Enimverò fraudulentos Danorum conventus Steno fastidiens, cum  
sectatoribus arcium invigilat recuperationi, & Oerebrogensi castro,



XXI. Septembris, expugnato, Arbogiazque Johanne Falstrio pro meritis mulctato, sub Stocholmiam cum numerofo admodum properat exercitu, unaque Suanto, & Scarenfis ac Vexionenfis Epifcopi. Caftrenfes verò in hoftem effufi, pridie Calendarum Octobris profligantur, victoresque ex boreali civitatem obfidem inprimis suburbio, ac deinceps australi, hic etiam regium denuò fugantes militem erumpentem. Deindè cives foris à Suecis, & intus à Danis nimium divexati, urbis consentiunt deditio, Confulibus hoc super negotio in castra Stenonis clanculum ablegatis. Quam indignati propter collufionem præfidiarii, flammam urbi fubjiciunt, & incolæ hoftem intra viscera graffantem repressuri, ac ignem tefta populantem oppreffuri, portas Stenoni pandunt. Qui Stocholmiam ingreffus flagrantem, adversarios in arcem compellit abcedere, incendium extinguit, & acropolim obfidione cingit, diemque circiter XI. Novembris, iterum Regni Gubernator falutatus, Suantoni commendat castrum impugnationem, & ipfemet ad reliquarum occupationem arcium proficifcitur maturandam.

Quibus Johannes, argento & classe destitutus, frigiditate sævitiâ impeditus, tempeltivum non valuit ferre subsidium; ut neque fuis in Norvegiâ periclitantibus, quos aggreffi Proceres Sueonibus confederati, quibuslibet illos patriæ munitionibus ditioribusque exuunt, præter Bohufium, quod duntaxat retinet Danus. Hujus autem in Norvegiâ rebellionis fuerunt antesignani, Canutus Alfionius Caftellanus Achershufiensis, & Hertlevus Hyddefadius, heroës nobiliffimi, ac patriæ nimium afflicte amantiffimi. Interim Johannes Spelingius, Raimundi Pyrandri fubdelegatus, in Scondiâ & Holfatiâ ærufcat, illâ quidem lege, ut dimidium collectæ cederet Regi, cum Sueonibus belligeraturus.

Anno MDII. Quælibet Sueciæ præfidia Steno Danis eripuit, præter Calmarniam & Borholmium, infuper Stocholmensis obfidionem castrum gnæviter urgens. Sed Johannes interea modicum follicitus de conjugis integerrimæ liberatione, novis indulget amoribus in Daniâ, uxoremque amplexatur Vordingsborgensis Caftellani. Quando & nuptias celebrat Elizabethæ filiæ, Joachimo Brandenburgensium Marchioni copulatæ, ac XXX. aureorum millibus dotis loco à parentibus donatæ. Arma deindè summo parat conatu in Sueones, vere appetente, illis congressurus; Proptereaque Steno prius Stocholmiæ castrum expugnaturus, ipsum multò acrius impugnat, & præfertim XXVII. Maji. Quamobrem Regina hoftium potentiâ, famis, & multifariæ luis intolerabili violentiâ, quâ præfidiariorum DCCCC. hætenus occubuiffent, compulsa, illis pacifcitur conditionibus cum hoftem, quòd arce deditâ, ipfemet, commilitonesque vitâ, & propriis fruituri effent bonis, non ad Regem fpectantibus; captivi tamen Sueonum futuri, præter Chriftinam, honeftè domum remittendam. Ità XXVII. Maji ex caftro egreditur, actaque Steno cognofcens, Stocholmiam mox advolat; arcem occupat; pacta approbat, exceptâ Reginae dimiffione, quòd illâ fperaret Johannem ad quietum fibi permittendum Sueoniæ dominium, permotum iri. Quam propterea cænobio includit Vafteufenfi, & XXX. Maji die, Regem classe inftitutiffimâ Stocholmiæ appellentem, repellit.

Post illius verò abitum, accolæ maris Suetici crudeliter prædantis, Steno Jacobum regni Primatem, aliosque Johannis fautores in caftro latitantes Stechenfi, vehementer oppugnavit, adeò, quòd Archipræful nullum amplius à Rege subsidium exfpectans, galeâ pacis indicio porrectâ, Stenonis postulaverit colloquium, quo litem fine arbitris omnem terminaverat. Hoc lætatus Gubernator fuffeffu, Norvegos in Danum pariter animat, & cum Lubecenfibus fœdus reftaurat. Iftoque vigente, Johannes impoffibilem fibi rebellium fubaftionem fore confiderans, fuis, & Scotiæ Regis, Lubecum expedi-



peditis Legatis, obsecrat, nè Sueonibus ferrent incolæ auxilia. Ibi autem passus repulsam, minas intentat; merces Lubecensium passim detinet; illos, Sueonesque classe infestat, & vicissim infestatur, ac spoliatur. Inprimis tamen Norvegos Johannes ad obedientiam compulsurus, id muneris fratri defert Friderico, velut cohæredi, dimidium ipsi Norvegiæ offerens, illoque abnuente, nisi censuum decennio indè perceptorum, quoque particeps evaderet, proprium illuc transmisit exercitum.

Is sub Aslogiam delatus, Canutum Alfionium, propinqui Castellani Achershusii, & rebellium antesignanum, datâ fide publicâ, in classem advocat, ubi perfidiam Johannis ille liberius exaggerans, ab Henrico Krumedichio nefariè trucidatur. Perfidissimus autem ficarius, tantum excusaturus scelus, iniquâ judicum sententiâ quorundam, sub exitum Augusti, prolata Aslogiæ, falso demonstrat Canutum, ceu fidei concessæ violatorem, regni proditorem ac perturbatorem, merito vitæ bonorumque incurrisse spem, & corporis in rotis ac palis promeruisse suspendium. Undè regio prædia fisco subjiciuntur, & funus annis XII. in arce permanet inhumatum Achershusianâ. Hâc tamen amore patriæ nequaquam perterritus Danorum tyrannide, Hetlevus Hyddesadius, hostibus se animosè opponit. Quòd Johannes inaudiens, Christiernum illuc filium, cum auxiliaribus ex Scotiâ & Germaniâ impetratis destinavit copiis amplissimis. Qui magis innatâ sibi sævitiâ, quàm honestâ rem militiâ confecturus, truculenter in subactum defævit populum; fraudulentè incolis arces furripit; noctu captum dolosè Hetlevum, sub Bohusio in rotas agit; Carolum Hammaræ Præsulem, cui pater ipsum, velut sibi fidelissimo, commendavisset, illic captivans innocentem, carceris squalore deinceps perimit, & totam propemodum Norvegiæ stirpitibus evellit Nobilitatem, nè quispiam impostero superesset oppressis refugio.

Steno propterea misertus illorum, insignes sub Bohusium destinat cohortes, Hetlevum indè liberaturus, quem supplicio affectum ignoravit. Sed regius potentior longè occurrens miles, Suecos prosternit, & illorum ducem Canutum, Regis filium Caroli, eaque Christiernus victoriâ elatus, totius Sueciæ, velut Norvegiæ, sibi persuasit subactionem. Itaque Vestrogothiam invadit proximam, & Ludosiâ occupatâ, Elsburgum atque Oerestenum, ab Erico Eri Castellano profugo, Danorumque amico, haud necessariis firmata præsidiis, acerrimè impugnat, & castrenses sub vitæ securitate deditioem arcium pollicentes, repudiat. Qui proindè clam noctu missus ad Stenonem nuncio, auxilium implorant, quod dum cunctantiùs adventat, illi munitiones dedere coguntur, omnes à Christierno miserabiliter trucidati, crudelitatis suæ famâ, reliquos Sueonum universos, ab subjectionem impellere frustra machinante. Postridiè verò deditioem, heros planè mavoritius, Achatius Johannis, insignes Stenonis nactus copias, in diluculo hostium appropinquat castris, istaque, quod non expectatis peditibus, cum equitibus esset aggressus, nec citra buccinæ clangorem honestum duceret hostes invadere, ab illis quantocyùs ad arma convolantibus repellitur.

Quamobrem Acho suæ pœnitens temeritatis, ad socias revertitur cohortes, & plures congregaturus, in Ostrogothiam remeat, quem insequens victor Christiernus, Elsburgo & Oeresteno inflammatis, in Vestrogothos ac Smalandos horrenda sævitiæ argumenta edidit. Atqui rescians Achonis cum formidabili reditu exercitu, indè secessit in Hallandiam, quam Sueones tergo illius inhærentes, multiplici vicissim clade cumularunt, & deprehensum Ericum Eri, ceu arcium proditorem, crudeliter illum laniant. Quando Lubecenses, Sueonibus sibi confœderatis opitulaturi, fena expediunt in Sueciam navigia, armis militeque instructissima. Sed nocte Dominici Natalis,



lis, præses castris Bohusensis, præfidiarios in Vichiâ Olufsburchenses, pœculis illo tempore indulgentes, clam superatis mœnibus aggressus, cœdit & capit, arcemque simul sibi postea, velut præmium victoriæ, à Johanne donatam. Porro cum filius in Norvegiâ & Sueciâ sic grassaretur, Johannes in Dania submissis percussoribus, nobilissimum, opulentissimumque virum, Paulum Laxmannum Aulæ Magistrum, quasdam propter suspiciones immaniter suffocatum, vitâ bonisque spoliavit.

Anno MDIII. Raimundus Pyrander, jam galero donatus purpureo, Episcopâque Charintiæ, nuper ab Alexandro VI. in Germaniam ablegatus, ut dissentientibus illius Principibus reconciliatis, suaderet Turcæ impugnationem, discordiam Johannis, cum Vandalorum negotiatoribus quoque transacturus, mense Aprili, Lubecum ingreditur. Quò etiam adventantes Regis Legati, coram illo multis urgent rationibus, ut mercatores, in gratiam Johannis, privilegia illis amplissima pollicentis, tantisper commercia intermitterent cum Sueonibus, dum ad obedientiam illi compellerentur pristinam. Sed infitoribus bellum potius cum Dano eligentibus, solutionemque mutui & crediti poscentibus, libera illis permissa commercia sunt, ac numeratio argenti promissa, annuis cum Johanne induciis, conventuique post annum X. Augusti die, Stralsundii pro totius controversiæ decisione futuro, consentientibus, insuperque spondentibus, quòd per suos in Sueciam destinatos oratores, cum Raimundi nuncio, velent Reginam pristinæ restituere libertati, & Suecos permovere ad frequentandum Stralsundii colloquium, Regique auscultandum.

Itaque Lubecenses, cum nuncio Cardinalis, in Sueoniam profecti, diu incassum laborarunt, donec anathematis comminatione, à Raimundo ferendi, denunciata, tandem Christiænæ liberationem, & promissionem de conventu Stralsundii à Suecis invisendo, extorquerent. Regina deinceps suæ in Sueciâ conversationis testimonium, à Regni poscens Senatu honorificum Stocholmiæ, XXIII. Octobris impetrat, nimirum, quòd arcem maximis impulsa necessitatibus dederit, & honestam admodum illic vitam hæctenus, summeque commendabilem instituerit. Tandem brumæ initio Daniam versus festinat, Stenone ipsam honoris ergò cum Legatis comitante. Cui Sudercopiæ in symposio Mereta, Canuti Alfsonii vidua, lentum propinavit venenum, Suantoni sponso sic habenas Sueciæ transmissura. Mox autem lethiferum, Steno agnoscens haustum, diffimulat, & suo tantum Secretario veneficium manifestat, qualiterque Suantoni, ex variolis Stegeburgi dederit ægrotanti fraudulenterque roganti, sua quælibet alexipharmaca. Undè Reginâ usque regnorum perductâ limitem, reversus, in villâ Scheslingeridenfi prope Jenecopiam, XIII. Decembris, exspirat, Princeps longiore dignissimus vitâ, verum esse confirmans, quòd hosti non sit fidendum reconciliato, neque ulla fides regni sociis, qui bella sequuntur.

Mox autem Suanto illuc advolans, propter Regis in Sueoniâ fautores, obitum Gubernatoris celat, viro in locum persimili subornato, funus Stocholmiam perducit incognitum, & suæ ad orbem regni gubernaculum invigilat promotioni. Superstes adhuc fuit Ingeburgis, consors Ste nonis pientissima, de qua præter alia devotionis exercitia, illud memoriâ & historiâ non indignum memoratur, quòd illis XLVI. jejuniis ante Pascha diebus, in memoriam passionis Dominicæ, in quotidianis sacrorum, quibus religiosè interfuit, operationibus, accenderet MDLV. cereos, tot existimans vulnera nostri fuisse Salvatoris. Verum Christina Johannis conjux, à Christierno filio, & Hallandiæ Scaniæque Optimatibus, in colliminio suscepta, Halmstadii Dominico Natali transacta, Hafniam



niam perducitur. Ubi Johannes postulato non dignans Lubecenſium oratores illam comitantes, alloquio, civium animos Vandalicorum in ſe magis inflammavit, ipſum ingratiſſimè arguentes. Iſto demum anno, filius naſcitur Friderico Hoſſatiae Duci, Chriſtianus, qui à parentis obitu, Daniæ ac Norvegiæ fuit etiam adeptus gubernaculum.

Anno MDIV. Ordines Sueciæ Stochohmiam advolantes, Stenonis primum cognoscunt mortem, & de regni moderatore ſubrogando, contrariis aliquandiu ſententiis differunt, nonnullis Johannem throno reſtituendum, & aliis Suantonem, domi militiæque de Republicâ præcellenter meritum, ac de potiſſimâ Optimatum proſapiâ Suecicorum progenitum, ad Regni promovendum eſſe gubernationem, contendentibus. Hiſque tandem prævalentibus, XXI. Januarii, Suanto concordi omnium ſuffragio Gubernator fuit ſalutatus. De colloquio poſteâ diſputatur Stralfundeni, ac extorta illius approbatio confutatur, velut in dolofam Regis vergens inductionem, bellumque pro Calmarniæ, Danis octennio ſubjectæ, & Borcholmii recuperatione, conclamatur. Prius autem Stenoni parentatur, cujus XV. Februarii die funus, ex Regiâ inſigni productum pompâ, ad cænobium deſertur Cartuſianorum, à Stenone ſub Gripſholmiâ fundatum. Quod modò conſummatum, Jacobus Sueciæ Primas, XVI. hujus menſis die, ſolenniter inaugurat, & poſtridiè funus in ipſo fundatoris tumulat. Ubi poſtmodum & Ingeburgis, prope latus mariti humatur, ex quâ Steno nullos ſuſcepit liberos. Ideoque ſuas noſocomiis & Eccleſiis largitus divitias, Chriſtum ſibi hæredem adoptaverat.

Hinc verò dilapſi Sueones ad arma, Calmarniam ardentè impugnant, Gaddio ductore, magis galeæ quam infulæ addicte, ac urbem in primis expugnant, arcis deinceps occupationi invigilantes. Sed novis domi litibus diſſecti, & foris à Danorum clafſe, continuis ſub Gotlandiâ damnis affecti, ſubverentesque ne ſociæ Vandalorum urbes, Dano reconciliatæ, ſibi adverſarentur, Mathiam Sudermanniæ Præſulem, ac Benedictum Ryning, in Daniam expediunt. Qui Hafniæ, XVIII. Maji die, pacem XIII. menſium cum Johanne ſanciunt, conventu poſt annum, XI. Junii, futuro Calmarniæ ſimul approbato; In quo controverſia utrinque omnis decidenda eſſet, & ſententia de Gotlandiâ per Senatum Scondiæ ferenda. Interim verò terrâ marique ſecura vigeret negotiatio; libera fundorum utrobique uſurpatio; captivorum liberatio; ſoluta Calmarniæ obſidione, Nicolaus Gedde, Sueticorum unus Conſiliariorum, civitatem & arcem teneret, hanc Regi, ſed illam Suantoni reſtituturus, ſi Johannem in conventu proſus recuſarent Sueones, alias utramque nomine Regni Suetici retineret. Quod ipſum ratione Borcholmii Nicolaus Boëtii obſervaturus eſſet.

Inſtabat jam dies conventui deputata Sundeni, quò negotiatorum Legati, à Bugiſlao Pomeranorum Duce, non permiſſi accedere, quod Sundeniſibus auxiliarentur, ipſi rebellibus novum Roſtochii ſœdus pangunt in quòſlibet ſuarum prævaricatores immunitatum, & præcipuè Danum, quòd Lubecenſes Reginam domum ex captivitate deducentes, non dignatus eſſet colloquio, pactis Lubecæ per Raimundum inſeritis, aſſenſum denegaret, & nomina ſolvere paterna recuſaret. Itaque Sueonum cum illo transactionem ſedulò conantur labefactare, ut ipſis ſibi denudò conjunctis, Regem ad ſuæ obſequium voluntatis facilius compellerent. Chriſtinam tamen Lubecenſes, illac Sternbergam votivè peregrinantem, comiter ſuſcipiunt, ac deducunt. Quæ hoc inviſit itinere, ſiliam



liam Brandeburgo nuptam, indeque tandem remeat in Daniam, etſi plurimorum ferretur ſermone, ipſam diſſolutos mariti pertæſam mores, libidinẽque vagam, illuc non amplius eſſe reſtituram. Illo autem tempore, deſideria Lubecenſium Suanto, de fœdere ſecum in Danos renouando ponderat, nec adhuc approbat, mercatorum deteſtans inconstantiam. Etenim ut genere, ſic animo fuit excelfo, peruetuſtâ Regum ortus Scandicorum progenie, aviamque nactus paternam Catharinam, Suenonis Sture filiam, à quâ ille poſterique ſibi cognomentum vendicarunt. Et cum Suanto, mortuâ priore conjuge Ilianâ, nunc foret viduus, Meretam Canuti Alſſonii duxerat ſibi uxorem.

Anno MDV. Conuentus die Calmarnenſis imminente, Johannes armatâ illuc navigat claſſe, ad pugnandum cum Sueonibus paratior, quam diſputandum. Quem proindẽ illi apparatus, propinquo hærentes maris ſinu inermes, meritò ſuſpectum habent, ſuæque non tam cauſæ, quòd Rex Calmarnenſibus non adhuc conſtitutionibus ſatiſfeciffet, quam metuentes vitæ, urbis ſuperſedent ingreſſu, & aduerſariorum congreſſu. Hinc Danus tantam in expositos non cecidiſſe feram caſſes excandefcens, Sueones peremptoriè citatos, accuſat rebellionis, & perduellionis, ac propter formidinem jure non comparentes, Calendis Juliis, per ſententiam à Senatu Daniæ, atque Norvegiæ, prolatam inique, hæredes demortui Stenonis Sture, Suantonem Nicolai, Ericum Johannis, Stenonem Chriſtierni, Trottonem Magni, Ericum Thuronis, Achatium Johannis, Thonnonem Erici, ac Petrum Thuronis, Sueciæ Conſiliarios, illorumque ſectatores, bonis omnibus, libertatibus, honore, privilegiis, ac Nobilitatis inſignibus, privandos iudicat. Se autem Sueciæ throno, & Chriſtinam ſimul Oerebrogia, cunctisque reſtituendos proventibus illic, iudicio quidem Rhadamantino pronunciat. Quam tamen in abſentes legitimis de cauſis inſontes, Johannem, vel Senatum Daniæ, ac Norvegiæ, dominum non agnoſcentes, in ſe ab hoſtibus plus quàm Vatinianis, ab actoribus & iudicibus pariter conſpirantibus prolatam, non præfati modo Sueciæ Proceres, ſed æquiores peritioresque hujus controverſiæ arbitri, meritiffimo ſemper jure contempſerunt ſententiam.

Porrò Johannes illâ obtentâ, ſuam effundit iram in Senatum Calmarnenſem, civiumque non paucos, quos prodiæ nuper urbis Sueonibus accuſatos, gladio obruncavit, hæc innocentium prodens cæde, quid ipsis Regni Optimatibus, ſi ibidem comparuiſſent, inferre decreviſſet, niſi ad nutum, cum maximo patriæ detrimento, ſibi obtemperaiſſent. Civitatem deindẽ ſuo firmat præſidio; in Daniam furens fremensque remeat; prædia illic Sueonum, & in Norvegiâ, occupat; illos claſſe infeſtat, & menſe Octobri, Calmarnenſis aſſeſſores iudicii inſtigat, ad flagitandum à Maximiliano Cæſare confirmationem ſententiæ, Sueonumque toto imperio proſcriptionem. Ipſemet autem propriis impellit literis Joachimum Brandenburgiæ Marchionem, ſuum generum, in aulâ Imperatoris, velut Archicamerarium, continuo morantem, ad ſeriam hujus negotii promotionem. Simul etiam ad Jacobum perſcribens Arborenſem, ipſum hortatur, ad jus ſuum contra Hemingum Gadium, cathedræ Lincolpenſis invaſorem, fautoremque Suantonem, obtento in ipſos anathematis fulmine, proſequendum, ac ſuum liberaliter hæc in re pollicetur illi auxilium, dummodo fuerit deputatus executor.

Hæc ſollennis identidem fuit Regum praxis Danicorum, quâ Johannes non contentus, domi quoque Sueonum expugnationi parat arietes, illos non ex Gotlandiâ & Oelandiâ ſolum, ſed etiam Borenholmiâ, decernens impetendos. Itaque hanc à Birgero Lundeniſium Præſule



le insulam quarundam vigore literarum, anno MCCCLXIII. extortarum, flagitat cum Hammarshusio, & non impetrat. Uxor interim Christina, operibus intenta pietatis, ex voto propter suam de Sueciâ liberationem emisso, Hafniæ virginibus normam vivendi S. Claræ sectantibus, fabricat cœnobium.

Cæterum Jacobus Arborensis, non ægrè Johannis auscultans admonitioni, XX. Decembris, à Julio II. obtinet sibi collatæ in Ostrogothiâ Episcopæ confirmationem, & in Gaddium execrationem, nisi intra præfixos ei tres terminos, se illo abdicaret officio ac beneficio, perceptosque refunderet proventus. Suanto etiam, Patres Lincopenfes, & tota diœcesis iisdem subjiciendi censuris, si Gaddio imposterum obtemperarent; in rebellione animarent, vel ullo modo faverent. Quas Julianus Raguzensium, Johannes Roschildensium, ac Lubecensium Præfules executuri essent, adhibito quoque, si opus foret, Rege Danorum, velut brachio seculari, solusque Pontifex, hujus decreti prævaricatores esset absoluturus.

Anno MDVI. Præfatus etiam Julius II. approbat S. Catharinæ apotheosin, ejus venerationem universis commendans Scandiotis, & omnibus Brigittini ordinis per Europam cœnobitis. Porrò Alexander VI. exhumationi & translationi pridem assensus est B. Ingridis Scheningensis, Upsalensi & Abogensi demandavit Antistitibus hoc negotium. Qui à cœnobii Antistitâ ideò Scheningiam nunc acciti, & locorum distantia impediti, suas committunt vices propinquieribus regni Episcopis, XX. Maji, Vincentio Scarenfi, Mathiæ Stregnensi, & Ingemaro Vexionensi; istique protinùs eò profecti, hanc peragunt religiosè sollemnitate. Nec suo intereà muneri defuit Julianus Raguzensis, qui admonitoriis passim literis publicatis, Gaddium hortatur ad obtemperandum decreto, quod Birgerus Lundensium Præful typis excusum, mandato regis per Sueoniam publicasset.

Johannes etiam politico simul gladio Suecos impugnaturus, Legato in Galliam & Scotiam expedito, subsidium in illos, & Lubecenses postulat; piratarum colluviem in adversarios instigat; Megapolensem Brunsvicensemque Principes, ad arma Lubecensibus inferenda Sueonum confœderatis, permovet, & per generum, ac suum in aulâ Cæsaris Oratorem, Maximiliano Sueonum, difficulter tamen, persuadet proscriptionem. Itaque Cæsar toties hâc super re molestatus, perperamque de ipsâ informatus, literis ad Suecos missis, admonet, ut tempus intra trimestre, Johanni obtemperarent, vel per sequens tantundem temporis spacium, coram suo comparentes tribunali, æquas rebellionis causas demonstrarent, & si neutrum facere voluerint, eos imperiali subjiciendos banno denunciaret. Sed ipsi Romano nequaquam se obnoxios imperio probè scientes, nè responsò quidem illum dignantur. Qui proindè transactò tempore præfixo, Græti Styriorum, II. Octobris, sibi quandam illegitimè arrogans hâc ex parte auctoritatem, præfatos Sueonum Proceres, & illorum sectatores, pace spoliât publicâ, toto vitæ, bonorumque inseguros fore imperio promulgat, & ullum iis ferre subsidium, sub gravibus pœnis vetat.

Istud verò decretum, panis Danus ulnis amplexus, in Vandalicis passim affigit emporiis. Contra quod protinùs Lubecenses, velut à se ducto impetratum Cæsare protestati, bellum in Megapolenses continuant, & hostium denique multitudine, quibus propter focerum, nunc Princeps Brandenburgensis accessisset, fatigati, cum Rege illorum instigatore in gratiam redire constituunt. Quamobrem Segebergæ cum



Danis initio Decembris congressi, pacem, & liberam in Dania Norvegiaque negotiandi facultatem illâ conditione impetrant, quod Sueonum commerciis tantisper superfessuri essent, donec illos ad obedientiam Johannès pertraheret. In quam simul ipsi rem fideliter incubituri, & novum cum Danis Nycopiæ anno sequenti, super aliis colloquium litibus componendis, habituri.

Verùm Sueci proscriptione Cæsareâ per Danum procuratâ, vehementer exacerbati, Hallandiam, Blechingiam, Scaniem & Norvegiam truculenter infestant, Lageholmio, & aliis illic arcibus occupatis, atque Mauritio regionis Toparchâ captivo inde cum plurimis aliis abducto. Nostratium in his fuit expeditionibus primipilus, Achatius Johannès, sævissimum Daniæ flagellum. Interim Suanto, Gadiusque, Calmarniam non minus acriter impugnarunt, & anno proximo civitate potiti, castrum obsidium continuarunt. Atqui Johannès magis de filio post obitum subrogando, quam suo Calmarniæ præsidio adjuvando, sollicitus, in comitiis hoc currente anno celebratis, Christierno novam impetrat ab Ordinibus Daniæ electionem.

Anno MDVII. Jacobus Scotiæ Rex, Johanni avunculo auxiliares poscenti copias in Suecos, IV. destinat navigia multo fœcunda milite, simulque flagitatam piratarum colluviem, & Legatum, qui mense Junio, Nycopiæ in Falstriâ, socio Gallici Regis Oratore, discordiam Lubecenses ac Danos inter, sic discuteret, ut pacta essent anni prioris approbata, pax utrinque firmata, subsidia quælibet Sueonibus abrogata, donec Johanni auscultarent. Id verò Lubecenses, missis in Sueciam literis ac nunciis, spondent se procuraturos, cæterisque Vandalorum negotiatoribus persuasuros, nè interim exportatione vel importatione mercium, Sueonibus auxiliarentur.

Ita nostrates undique angustati, censuris Romanis, banno Maximiliani, perfidâ sociorum defectione, piratarum incurfione, ac inopiâ commeatus; animum tamen non despondent, urbem Calmarnensium armis obtinent, hosticum crebrò incurfant, & quod vicissim Dani post colloquium, Vestrogothiam essent populati, Suanto Blechingiam & Hallandiam horrendâ multavit vastatione, Lychebygio simul in solitudinem redacta.

Interea temporis, Christiernus prælia Veneris exercet in Norvegiâ, ubi pellicum primaria fuit Divica, Sibritæ Hollandæ filia, formæ præstantiâ Trojanæ nihil concedens Helenæ, nec minus illa propemodum Scandiæ, quam illa Ilio exstitit perniciosa.

Anno MDVIII. Sueones à Lubecensibus persuasi, cum Johanne pacem inire consentiunt, ideoque generali habito Arosiæ conventu, XIII. Februarii, Ottonem Vesmanniæ Præfulem, cum Erico Trolle, Hafniam transmiserunt. Illic verò post nonnullam cum adversariis corrixationem, octiduo ante Pascha, colloquium inter XII. Sueciæ Proceres, & totidem Daniæ approbant, XVII. Junii die frequentandum Varbergæ, promittentes, nomine Ordinum Suecicorum, his rata & grata certò futura, quæ à XXIV. Scandiæ Optimatibus, illic essent concorditer ac utiliter conclusa. Interim pax utrinque terrâ marique vigeret, civitas Calmarnensis Suantoni, arx verò cum Borholmio Oelandiæque ad Johannem attinerent, neque ulla foret mercium exportatio vel importatio in Sueciam permittendâ. Præfixo autem tempore Summates Varbergæ convenientes, principio Julii, prorogarent inducias, ad XI. Novembris diem, iisdem quibus nuper Hafniæ conditionibus, & illo temporis intervallo, Sueones Johanni gubernaculum restituerent, vel Christierno illud filio



filio permetterent, aut si utrumque demonstrarent suæ perniciosum Reipublicæ, annuam Regi pensionem promitterent, illum agnoscentes dominum, & sub finem Septembris, Malmogiæ cum Danis iterum comparantes, super his se resolverent. Verùm deinceps mutuo differunt consensu istam in sequentem usque annum resolutionem, & Sueones hoc exente frequentes congressi, in Daniam ternos Consiliarios expediunt.

Anno MDIX. Illi circa XIII. Januarii diem, cum Danicis Commissariis Helsingburgi colloquentes, induciarum obtinent prorogationem, ad XXIV. Junii diem, promittendo senos ex Sueonum Senatu intra hoc temporis spacium, cum totidem ex Danico, Malmogiam venturos, indeque non abituros, antequam ex tribus illis unam essent amplexi conditionem. Sicut etiam ante Februarii Calendas, hanc Gaddio Calmarniæ hybernanti, se transactionem insinuatos, quod ipsum Johannes apud suos facturis excubitores, qui solam prohibitori forent exportationem & importationem mercium in Sueoniã. Sed quibusdam de causis prorogatus quoque fuerat hic conventus ad mensem Julium, & interim Ordines Sueciæ, habitis comitiis, prohibent suis ad illum propediem abituris, ne ullam pollicerentur Johanni pensionem, nisi sufficientem acciperent inprimis cautionem, quod argento numerato, arcem Calmarnensem cum Oelandiã & Gotlandiã essent protinùs recepturi. Verum illi suæ parum memores obligationis, in congressu deinceps Hafniæ cum Danis, spondent annua XIII. millia Johanni Stocholmensium marcarum, donec ipsum, vel filium, Sueones acceptassent, & præfatæ munitionis, ditionumque concedunt possessionem, pacem terrâ marique stabilem ineunt, liberâ negotiatione recuperatâ; non tamen Lubecensibus quicquam mercium apportaturi, si Regem impugnant; Captivorum subscribunt liberationi, atque colloquii cum Danis alterius celebratione tunc frequentandæ, quando Sueciæ inhabitatores Johanni, vel Christierno sceptrum tradere essent parati, quo primùm tempore castri memorati, & insularum discutienda foret restitutio, ac reliqua examinanda controversia.

Hanc verò Suecos & Danos inter factam mense Augusto transactionem, ideò Johannes maturavit, quod inaudiens Lubecenses Megapolensibus reconciliatos, subvereretur, nè illi denuò Sueonibus conjuncti, se impugnant, prout etiam contigit. Siquidem Suanto illam suorum perfidiam Commissariorum ægerrimo ferens animo, usque perniciosis regno pactis non sibi adhærendum censuit. Hujusque non ignari Lubecenses propositi, hunc magis in illo confirmant; tributarium fieri Dano probrosum esse dictitant, & ad bellum Johanni secum honestius inferendum invitant. Ad illud porrò Consules permovit assidua civium suorum quærimonia, de mercibus per regios navarchos contra Nycopense ablati decretum, falso identidem prætexentes, ipsas ex Sueciã adversus edictum petitas. Nec Suanto tantam sibi negligendam ratus occasionem, invitationemque, missis Lubecum literis, fœderi consentit, ac indè mercatores plurimùm recreati & animati, XVIII. navium classem milite mercibusque plenissimam omnigenis, autumnii tempore Sueciam versus expediunt; Borenholmiam & Gotlandiam obvias diripiunt, ac uno tempestate navigio amissò, reliqua feliciter Suecico portui appellant. Ibi quantum de bello in Danum gerendo cum regni Moderatore consultant, & classe nimium mercibus oneratâ Sueticis, initio brumæ remeantes, V. fluctibus naves obrutas amittunt, & superstites Gedanum deflectunt. Interea Danus, XXIV. Augusti, fœdus quoque pangit cum Sigismundo Polonorum Rege, promissum faciens & accipiens de mutuo ferendo in necessitate subsidio adversus hostes.

Quandò perillustis adolescens Gustavus, à domestico satis hætenùs







tus auxiliis, piratarumque grandi numero advocatorum quisquiliis, hostibus gnaviter colluctatur; XXIV. navium classe oceanum obvagatur; onerarias aliquot hostium prædatur; & acturias eorundem Mœoniam populantes, indè profligat.

Deindè classis Danicæ Archithalassus, Severinus Norby, Finlandiam Sueciæ provinciam invadens, solâ illic Abogiâ exustâ, ab incolis certatim concurrentibus indè fugatur. Postea conterminam ingressus Alandiam, ipsam spoliât, & præsidium insulæ Castelholmense, cremat expugnatum; præsidemque illius Stenonem Turonis, cum uxore abducit captivum.

Nec Suanto mitius interea cum Danis procedit, qui Johannem, Lubecensibus egregiè distinentibus, Calmarniam & Borcholmium, indefessis operis oppugnat; Norvegos ad rebellandum Dano stimulat; ac hosticum simul intestat, in Hallandiam ablegans Achatium Johannis, cum DCC. equitibus. Illâ verò in solitudinem propè redactâ, invasurus quoque Scaniam Achatius, à præmisso seducitur speculatore, hostium muneribus corrupto, & in paratas igitur corruens insidias, cum plerisque commilitonibus trucidatur, inque cœnobio sub Helsingora tumulatur. Verùm superstites in triumphum captivi ducuntur Hafniæ; capta Sueonum vexilla ibi suspenduntur, atque Achatii cæsoi Nobilitatis insignia conferuntur.

Hâc Gubernator Sueciæ nonnihil consternatus suorum clade, subvertitur, nè Danus victoriâ inflatus turpiter partâ, propius arma proferret, illiusque instinctu Moschus Finlandiam invaderet. Ideò per Antonium Turonis, in Russiam protinus expeditum, Legatos indè Moschoviticos obtinet, qui nomine sui Principis, secum LX. annorum pacem, Stocholmiæ constituerunt. Lubecenses interim de strage Sueonum facti certiores, Regem ab illorum invasione demorantur, XXVI. navium classe actutum emissâ, Daniæ littora populantes, & in auxilium sociis sub Calmarniam properantes. Quorum adventu plurimum Sueones exhilarati, de illorum consilio, IX. ornatissima classî adjungunt fœderatæ navigia, & in his suos expediunt Legatos, Hemingum Gadium atque Stenonem, Gubernatoris filium, cum Lubecensium Consulibus, de commoda superbi hostis impugnatione, deliberaturos. Hæc formidanda classis porrò in altum provecta, Lalandiam inflammat direptam, unaque conflagrat Halstedense, Brigittini ordinis cœnobium, & deindè novis Lubeco aucta copiis, Fioniam invalisset, nisi contumacia quorundam ex navarchis reditum flagitantium cum manubiis, Lubecum remeare fuisset compulsâ, quod exeunte Augusto attigerat incolumis.

Principio autem Septembris, arcem Sueones Calmarnensem, quorum illic fuerat antesignanus Steno Christierni, expugnatam occuparunt, postea Borcholmensi totis incumbentes viribus obsidioni. Sed illorum Legati, postquam idoneas belli rationes cum Lubecensibus inivissent, 3764. mutuo accepissent marcas, decretum est ut Gadius, ob singularem prudentiam, illic perhyemaret, porrò cum sociis deliberaturus, & Steno responsum parenti referret. Quo cum XII. Lubecensium naves, Calendis Octobris, indè solventes, in VIII. Danicas incidunt, Borcholmio commeatum apportantes, quarum una periit in fuga, & reliquæ Gotlandiam trepidæ attigerunt. Itaque Dani subsidio frustrati, post quadrimestrem castrî defensionem, illud XXV. Novembris, Erico Abrahami, Sueonum illic primario, tradiderunt.

Postea Johannes per brumam à Lubecensibus securior, utriusque arcis amissionem, totius Sueciæ subjugatione, statuit compensare, & Decembri mense, Christiernum filium, ex Norvegia revocatum, ubi horrendam in incolas tyrannidem octennio exercuisset, cum immenso ablegat exercitu in Vestrogothiam. Qui hâc subactâ regione, Ostrogothiam versus festinans, Jenecopiæ cognoscit insidias sibi tales in Tivedensi ac Holvegeni pa-



ratas esse nemoribus, quales nuperâ æstate Achatium in Fanteholensibus sustulerunt angustis, fugamque subito capeffit. Quem Suanto in Scaniam usque persecutus, cladem Vestrogothiæ vindicat, & Vadeni cum innumeris aliis oppidis ac villis civitate concrematâ, in Sueciam ovans remeat. In Norvegiâ denique hoc demoritur anno illius Archiepiscopus Gauto, cui legitimis Patrum suffragiis Nidrosiensium, M. Johannes Krabbe submissus, pauco residet tempore.

Anno MDXI. ineunte, Johannes animadvertens difficilem sibi fore transactionem cum Suecis ac Lubecensibus, quamdiu ab Hemmingo Gaddio, velut oraculo, sua peterent consilia; de ipso apud Romanum queritur Pontificem, quod licet persona esset Ecclesiastica; tamen Politicis se nimium ingereret officiis; Archithalassium ageret classis Sueticæ ac Lubecensis; insulas Daniæ invaderet; illas diriperet; sanguinem humanam funderet; censuras Ecclesiæ contemneret, Episcopâ adhuc Ostrogothiæ retentâ, & hanc commorans per hyemem Lubecæ, cruentissimi consuleret belli prorogationem. Proinde obsecrat, ut Lubecensibus prohiberet Julius sub maledictionis comminatione, ipsum diutius illic fovere, ac eorum mandaret Episcopo, Gaddium ibi detentum, Romam destinare multandum. Sed neque Gaddius, neque Lubecenses magnoperè hujusmodi Regis curantes molitiones, æstatis initio, cum sociis consultant ibidem urbibus, de belli rationibus promovendi, & subsidia cumulant. Illius verò apparatus, Marchio Brandenburgensis, & Princeps Magnipolensis, non ignari, Dano suadent, ut tempestivam cum tantis pacem iniret hostibus, horum salubria contemnenti consilia, vindictam spiranti, & maritima ab Hollandis Frisonibusque auxilia expectanti, atque novum cum Duce Pomeranorum, in Suecos, Sundenses & Lubecenses, fœdus contrahenti.

Deindè naves Hollandorum CC. in fretum adveniunt Cymbricum, quarum potissimis suam instruit classem Johannes, quæ reliquas deducit onerarias sub Livoniam, indeque regressâ, ditiones populatur Rostochensium ac Stralsundensium. Sed Oelandiam pariter invasura, repellitur, quam sub Borenholmiâ, interim apparata Suecorum & Vandalorum classis, IX. Augusti, aggreditur, acerrimumque utrinque prælium oritur, quod aliquandiu pari fermè gestum Marte, nox diremit. Postea inaudiens Lubecensium classis, CXXL. Hollandorum onerarias Dantisco adventare, illis congregitur, LX. illarum potitur, mercibusque amplissimis, & Danicam subito advenientem, prædasque sibi erepturam, profligat, ac Lubecum victrix cum illâ festinat, ubi propter tantam de hostibus partam victoriam, anniversaria instituuntur sacra. Quamobrem Johannes ferò pœnitens se generi non obtemperasse consilio, istud tot cladibus jam cumulatus, admittit, & mercatores bellum etiam pertæsi, ab eodem Marchione, aliisque inducti Principibus, XXII. Novembris, Flensburgi cum Rege paciscuntur, ipsius gratiâ, & veteribus in Scandiâ privilegiis fruituri; Sueonibus non opem laturi, & hoc super negotio cum Danis, XXIII. Aprilis die, iterum Malmogiæ congressuri.

Quam verò honestè toties fidelissimos sibi socios deserunt Lubecenses, Danorum gladiis objiciunt, & auxilio destituunt sanctè promisso Sueones, nemo non, etiam me silente, animadvertit! Enimverò protinus Rex Suecos grandibus impugnat copiis, & porrò non permissus, quam in Vestrogothiam, cum ipsis in Daniam remeat, hancque Suanto vicissim invasurus, immensum cogit exercitum.

Anno MDXII. Præfata accinctus Gubernator expeditioni, lethifero corripitur morbo, & illo Arosiæ, II. Januarii, extinguitur, ibique quo promeritus de patriâ honore, sepelitur amplissimo. Mox autem dissen-



diffensio oritur acerrima inter seniores & juniores Regni Proceres, de novi Gubernatoris electione, his Stenonem Suantonis filium juvenem, propter multas quoque populo gratum virtutes; ast illis Ericum Trollium senem, prudentiâ & scientiâ præstantem, nominantibus Reipublicæ provisorum, ac pro tempore prævalentibus. Deinde Ordines, diuturno belli onere inclinati, & Danorum persuasione, Lubecensiumque defectione provocati, jungere dexteras cum Johanne decreverunt. Ideoque Arbogiæ congressi, XIX. Januarii, Legatum deputant Mathiam, Sudermannia Præfulem, cum tribus deinceps comitibus, ad Malmogensem quoque profecturum congregationem. Interea quadri-duo ante Pascha, orator Ludovici Regis Gallici, Johannem accedens, obsecrat, ut suos expedire dignaretur Legatos, cum aliis Europæ Principibus, quos de eodem ille pariter negotio mox esset compellaturus, ad concilium Pisis, pro Ecclesiæ celebrandum reformatione. Nam illic Gallus, & Cæsar, nonnullique Cardinalium, Pontifici adversantes, non Romæ illud censuerunt habendum. Sed Johannes protinus ad Julium II. misso propter hoc aliaque Oratore suo negotia, flagitat, ut in Germaniâ celebraretur, quod speraret ita se facilius persuasurum Moschoviæ Principi, suos illuc ut expediret, pro ineundâ religionis concordia, Commissarios. His simul Danus orat literis Pontificem, ut M. Erico Valchendorpio, Roschildensis Ecclesiæ Præposito, & filii Christierni Cancellario, Nidrosiensem conferret infulam, quò fidum sibi haberet in Norvegiâ Archiepiscopum, quæ annis XII. rebellionem molita, & à consilio Primatis, velut oraculo, plerumque dependeret, votoque consensum impetrat, Erico cathedram occupante.

Mense autem Aprili, Malmogiæ confluerant Dani, Sueci, & Lubecenses, ubi XXIII. ejusdem die, hi cum Johanne in gratiam redeunt, liberâ securâque in Scondiâ negotiatione recuperatâ. Quando etiam Sueonibus ille reconciliatus, alteri subscribit colloquio, Hafniæ post annum, XXIV. Junii, frequentando; In quo controversiis primum exhaustis, nostri unam ex tribus illis amplexuri essent conditionem, Johanni, vel filio, sceptrum tradendo, aut XIII millia Stocholmensium marcarum quotannis numerando. Sin autem Sueones & Dani his de rebus illic consentire nequirent, mercatorum decisioni Vandalicorum esse submittendas; Qui partem æquo contumaciorem, vel his non obsequentem pactis, persecuturi, nec ullum subsidium laturos, donec satisfecerit æquitati. Huic adfuit conventui, Legatus Scoti, flagitans nomine sui Regis, auxiliares in Anglum copias, quas liberaliter pollicetur illi Danus, XII. Junii, nisi aliis Jacobus adminiculis, cum socero Anglorum Rege, ad pristinam redire concordiam possit.

Nec multo post tempore, Isardus Gravius, Julii II. Quæstor generalis, in Coloniensi, Moguntinensi, Magdeburgensi, & Bremensi, provinciis, Daniam ingressus, Christiernum, ex mandato Pontificis, à censuris, propter interitum Caroli, in Ecclesiâ Præfulis quondam Hammarensi contractis, absolverat. Sed Johannes sub hoc gratissimo sibi pacis ocio, ad opera versus pietatis, diversoria Monachis apparat Franciscanis, Kægîæ, Malmogiæ ac Halmstadii, perillustria. Uxor autem Christina, ordinis ejusdem vestalibus, Ottoniæ splendidum exstruit cœnobium, in quo post obitum mariti, religiosè consenuit, & illic tandem mortua, contubernalium habitu sepeliri voluit.

Verum isto temporis intervallo, Ericus & Steno in Sueoniâ de Regni clavo vehementer corrixati, ad XVIII. Maji diem, cum suis veniunt sectatoribus Upsaliam, ubi Trollius in foro, & Sturius in prato, de sua



fuâ cum Ordinibus ad gubernaculum promotione, sedulo agunt comprobândâ; & tamen inde Stocholmiam abeunt. Hic mense Julio, nova oritur concertatio, multiplici sanguinis effusioni propinqua, quam, velut in extremam patriæ vergentem perniciem, quidam Optimatum, tempestivè averterunt, clavum Stenoni porrigentes, quod præcipuas ille regni obtineret munitiones; militem & plebeculam sibi haberet oppidò addictos, ac Trollium, ceu factionis Danicæ, propter Majorum perfidiam suspectum, plurimi Sueonum aversarentur, virum aliàs tali munere dignissimum. Itaque Steno Sture, XXIII. Julii die, habenas Regni adeptus, Ordines in acropoli magnifico excipit convivio, & deinceps regit prudentissimè per sequens septennium. Sub cujus regimine illi Sueciam agyrta ac circumforanei primùm ingressi Zigani, vulgo Tartari hodierno nuncupati. Quorum vanissimas æmulati vaticinationes Dominicani, Stocholmiæ, principio Septembris, ex suggesto urbis prædicunt submersionem, die horâque designatis. Undè his imminentibus, plurimi civium ad montes & insulas secedunt finitimas, & tempore citra periculum aliquod civitatis evoluta, cum pudore redeunt, pseudovatibus indignantes.

Anno MDXIII. Johannes febrî correptus, ex illâ moritur Aleburgi, XX. Februarii, & cucullo indutus, Ottoniæ in Ecclesiâ Minorum magnificè conditur, filio Daniæ ac Norvegiæ scepra transmittens. Sed Julius II. eâdem quâ Johannes nocte, de mundo sublatus, Leoni X. Petrinam reliquit cathedram, qui à cœnobitis informatus Vastensium, quod festivitàs S. Catharinæ, nec XXIV. Martii, quando de vitâ migrasset, neque II. Augusti die, quo ipsius Ecclesia corpus elevasset, propter jejunii Paschalis ac tempus messis, vindemiæque, posset commode in monasteriis celebrari Brigittinis. Ideoque rogatus de facultate illam peragendi solennitatem, XXV. Junii consensit, tantas largiens hoc novo S. Catharinæ festo, cœnobita ordinis devotè visentibus indulgentias, quantas XXIV. Martii, & II. Augusti, assequerentur Vastensense frequentantes.

Hemmingus quoque Gaddius, censuris nimium molestatus, hoc tempore insulam deserit Lincopensem, XII. annis violenter gestatam, quam Ostrogothi, M. Gustavo, Erici Trollii filio, decreverunt inprimis conferre. Verùm inaudientes Upsalensem illi porrigendam, Doctori Johanni Braschio, Ecclesiæ Præposito, ipsam assignarunt. Quam pacificè, Jacobo Arborensi nonnihil muneris largitus, possedit, & principio Augusti, Lincopiæ solenniter fuit inauguratus. Atqui ad Vastenses reversus cœnobitas, invenio ipsos argenteum S. Birgittæ loculum fabricaturos elegantiore, à Christierno per literas solutionem auri postulasse, ab illius parente, avoque quondam injustè inde sublato, eoque hanc differendam respondente, donec Sueciâ cum redivitibus esset potitus, illos nihilominus thecam admodum preciosam hoc anno Stocholmiæ elaboratam consummatamque, procurasse comperio. Simul etiam deprehendo, quòd Jacobus Upsalensis, & Mathias Stregnensis, Antistites, Abogiam ex commissione Romanâ profecti, B. Hemmingum de tumulo decenter levatum, loculo incluserint argenteo, ejusque venerationem solenniter promulgarint.

In Junio autem, IX. Sueonum Optimates, ex pactis Hafnensem ad conventum proficiscuntur, & isthic rogati ad subscribendum Christierni cum Danis & Norvegis electioni, pro tempore abnuunt, quòd hujusmodi non haberent quicquam in mandato ab Ordinibus Sueciæ; quòd hi anno MCDXCIX. ad ipsius essent violenter compulsus designationem; quòd horrenda tyrannidis exempla in Norvegos & Suecos



ante decennium ab illo essent passim edita, ipsos merito deterrerent; & denique, quòd pater de Christierno vivus malè semper ominaretur, idemque facerent nunc clanculum Daniæ Summates. Proindè spacium deliberandi, & inducias nacti (quæ per sequens quadriennium quoties effluxissent, toties à Christierno sub electionis spe essent instauratæ) domum festinarunt Sueonum Commissarii.

Sed Norvegi remanentes, XXII. Julii, cum Danis Christiernum illâ præter alias Regem designant conditione, quòd nisi pactis staret, utroque esset diademate privandus. Hic etiam præsentibus Lubecensium oratores, pacta renovant; nova, veteraque privilegia impetrant confirmata; pacem cum Danis approbant perpetuam; & liberam cum Sueonibus veniam negotiandi obtinent. Quam tamen illi contra Regis mentem, de belli etiam Suecos ac Danos inter tempore intelligentes, talique casu Sveonibus commearum inferentes, gravissimam postea Dani offensam incurrerunt. Sed modò Christiernus pacificum Daniæ ac Norvegiæ regimen adeptus, paternam quoque ex Juthiæ Ducatu, Holfatiâ & Stormariâ, impetrat à patruo Friderico portionem, incolis roborans, XVIII. Octobris, privilegia.

Anno MDXIV. Christiernus animadvertens Stenonem prorsus alienum à permittendâ sibi Sueciâ, & ipsum ex consuetudine Majorum, gladio inprimis Ecclesiastico compulsurus, matrem instigat Christinam, ad querendum de ipso, propter Oerebrogiam hætenus violenter detentam, apud novum Romæ Pontificem. Is proindè falsâ deceptus hoc super negotio informatione, V. Maji die, Stenonem hæc de causâ cum sectatoribus, in concilio Lateranensi execrabatur. Hæc autem fraude Christiernus facilius se throno Sueciæ potiturum confidens, incolis propter censuras à Stenone alienatis, Daniæ inprimis diadema statuit capeßere, quod Proceres, illius offensi libidine ac tyrannide, XXIX. Maji die, ipsi ægerrimè contulerunt. Postea in Norvegiam profectus, Aslogiæ, Julio mense quoque coronatur, nec Regum ullus sequentium, in illo fuit amplius regno inauguratus.

In Sueoniâ verò Jacobus, illius Primas, senio ac laboribus valde fatigatus, se officio abdicare constituit, reliquum vitæ in contubernio consumpturus Carthusianorum, & de proventibus Archiepiscopæ, modicâ fruiturus sustentatione. Itaque successorem ratus idoneum, M. Gustavum, Erici Trollii filium, Romæ operam literis navantem, idque propter generis excellentiam, artium scientiam, & propinquam cum Stenone sanguinis copulam, quæ ipsos indissolubili jungeret concordia, suam Gubernatori mentem denudat; causam promovet candidati, fidelemque illi fore promittit. Indè Steno persuasus, electioni subscribit Gustavi, III. Octobris, à Patribus Upsalensium concorditer absolutæ; necessarium illius promotioni argentum parenti mutuat; plus Stocholmensium collybo in oris ipsi exteris impetrat, & binis Canonicorum Upsalensium, in hoc Romam versus negotio expeditis, M. Gustavum fideliter Leoni X. commendat.

Nunciis autem iter per Daniam continuantibus, CD. argenti libras tradidit Christiernus perferendas candidato, his illum muneribus ad partes suas pertracturus, quem Stenoni, propter exclusum à regni gubernaculo parentem, non ignoravit suboffensum. Hinc alter Gustavus, nullo licet sanguine junctus esset Stenoni, multò tamen illi fidelior evasit, quodque Christinam ipsius materteram, haberet Steno uxorem. Qui hoc anno studiis valedicens, ad illius se contulit aulam, in qua diu familiariter cum Hemmingo Gaddio conversatus, insignem rerum experientiam acquisivit.



Anno MDXV. Durantibus adhuc induciis Suecos inter & Danos, Christiernus per suos in Moschoviam expeditos Legatos, Basilium sollicitat ad inferendum Suecis bellum quantocyus. In Angliam quoque alios destinat oratores, cum Rege Henrico, de multiplici damno Islandis per Anglos illato, exoptulatum, & satisfactione acceptâ, pristinum cum ipso fœdus restaurat. Prius autem parenti, ac sibimet satis obstrictos addictosque noverat Gallum, Polonum, Scotum cognatum, Saxonem avunculum, Brandenburgensem sororium, ac urbes Vandalorum fœderatas, & cum tanto amicorum albo solum desiderarentur Imperator atque Hispanus, tertiâ ad ipsos missâ legatione, in conjugem poscit Elisabetham, Regis Philippi filiam, neptem Maximiliani, ac sororem Caroli, solio Imperii deinceps potiti, eamque obtinet, Lincii solemniter sibi desponsatam, cum dote CCC. millium aureorum.

Quamobrem Christiernus solennia nuptiarum apparat, & pro adducendâ sponsâ, corporis animique dotibus ornatissimâ, mensè Junio, Ericum Norvegiæ Primatem, cum nonnullis Daniæ Optimatibus, splendide ablegavit. Quibus in Flandriam delatis, germanam Carolus assignavit, præmissâ admonitione, quod publicum novus sororius scortum, Divicam, omninò repudiaret, idque pollicentes Legati, & inde cum virgine solventes, IX. Augusti, sub Hafniam expectatissimi appellant. Illic vero post triduum, Elisabetha inauguratur, & sponso copulatur, quando illi Archipræsul, exhortationem Caroli insinuans, acerrimum ipsius, & Sibiricæ ac Divicæ incurrit odium, quod Ericum postea omnibus exuerat fortunis. Verùm in hanc Christiernus festivitatem immensas fecerat impensas, pro quarum solutione, indigenis & alienigenis longè majora solito imposuit vectigalia, biennio solum pendenda. Quibus nimium gravati in Daniâ Lubecenses, de illis frustra per Legatos querebantur, quos hortatus Christiernus, nè Suecis com meatum sibi rebellibus præsumerent amplius adportare, sicque ipsos roborare.

Interim Basilius, Moschoviæ Princeps, ab oratore Danico persuasus, II. Augusti, spondet Christierno subsidium in Sueones, ab illo vicissim in necessitate militares accepturus suppetias. Deindè resciscens Danus, novum Sueciæ Primatem Româ Lubecum advenisse, missis ad ipsum nuncio literisque, illi contemptum patris in memoriam revocat; ad vindictam instigat, & sibi ex voto illum inescat. Qui Stenonis odio propterea flagrans, indè solvit mensè Augusto, & in fauces delatus Stocholmenses, Regiam accedere dedignatur, ubi Steno ipsum insigni decreverat excipiendum convivio, sed navigio deserto, per occultos Upsaliam calles festinavit. Illuc verò adventanti, Calendis Septembris, Jacobus cum solenni obviat supplicatione, & in basilicam perducto, cathedram assignat, suspectus vehementer collusionis cum Rege, ac proditoris apud Stenonem; cui mox Gustavus Stocholmiam perscribens, Jacobi, & parentis minatur persecutoribus, quos suadet Steno respondens, ad iudicium citandos, illoque affines culpæ plectendos.

Hinc liquidò Gubernator animadvertit, quid sibi à Gustavo & sectatoribus, Danique fautoribus, qui catervatim mox ad ipsum velut asylum confluxerant, foret expectandum, & suam Deo causam, æquisque committit arbitris. Quem ideò Gothus in hac justiore & modestiore meritò censet controversiâ, quæ ipsos inprimis, illorum familiam, ac universam denique patriam, tanto sauciavit vulnere, ut nè hodiè quidem plena illi cicatrix sit obducta. Interèa in sinu gestiebat Christiernus, flammam incendio adjiciebat, & occasionem rei gerendæ lætus captabat, quæ lætitia, etiam ipsi tandem ex justo Dei iudicio,



dicio, in mœstitiam convertebatur. Pridie autem Calend. Octobres, Leo X. priscos in Sueoniâ codices, olim Italiâ devastatâ, huc à Gothis victoribus suspicans deportatos, & ipsos recuperaturus, destinat huc Johannem Hyemersium Legatum, Archiepiscopis hoc nomine vehementer commendatum. Quo tempore Christiernus ab uxore & Sibruta Divicaque persuasus, colonos Hollandorum plurimos, in Daniam traducit, quod homines essent admodum industrii, operarii insignes, & cupedinarii, quibus præpingues regni fundos assignat excolendos.

Anno MDXVI. Mentem Steno Archipræsulis novi porrò exploraturus, mense Januario, Upsaliam ad nundinas proficiscitur Disanas, & in Ecclesiæ sacrario, tantos illi gratulans honores, ludibriis excipitur, calumniisque insons impetitur. Quibus confutatis, indignatione flagrans, & Jacobo seniori, propter Gustavi promotionem succensens, Stocholmiam remeat, hincque seditiosam adversarii mentem, literis Romam datis, Leoni X. manifestat, quem unicum sui judicem Gustavus agnosceret, & quantum hinc Regno Sueciæ formidandum periculi, demonstrat, obsecrans, ut ad saniores ipsum revocaret mentem. Deinde non ignorans Steno, Gustavum à Christierno instigatum, totamque præsidii spem in illo habere collocatam, & metuens, nè induciarum tempore propediem evolutis, Danus Sueciam invaderet, tantâ invitatus occasione, audiensque Moschum, illius hortatu nuper Finlandiam graviter afflixisse, Telgensia indicit comitia, & Calmarniam ferias circiter Pentecostes profectus, Legatos in Daniam expedit. Illi Christiernum Hafniæ convenientes, palam significant, Sueones ipsum suscipere Regem paratos, ubi primum satisfaceret illorum gravaminibus, idque nunquam ipsum facturum probè scientes, solam induciarum intendunt obtinere prorogationem, ut interim Moscho multato, & domestico tumultu sedato, armis Danum concordibus, postea etiam coercerent. Qui fiduciâ Sueciæ quoque dolis sibi subjugandæ occæcatus, hanc non animadvertit fraudem, sed petit, ut conventus hoc de negotio Halmstadii, proximis Februarii Calendis, à Scondiæ Proceribus celebretur, & interim pacem utrinque terrâ marique illibatè perseveraturam promittit.

Cum his autem indè reversis, aliisque patriæ fidis Optimatibus, Steno Telgæ Julio mense comparens, illum Archiepiscopum amicè invitat, sibi fidelitatis juramentum nomine Regni præstiturum, & sua Ordinibus consilia de Moscho compescendo, responsoque Danis Halmstadii tribuendo, communicaturum. Sed venire abnuit, & idem suadet complicibus, cum quibus in Stechio consultat interea de Rege inducendo, ad ipsum finitis comitiis, perscripturus, ut inducias abrumperet, & Sueciam invaderet, primarias regni arces sibi apertas deprehensurus. De hac Steno certior factus conspiratione, Ordines hujus infcios post sufficientem de rebus propositis deliberationem, Telgâ dimisit. Quando ex urbe Leônis advenerant literæ, illic VIII. Junii, ad Gustavum, & Clerum Sueciæ universum perscriptæ, quibus ipsos dehortaretur à bellis Politico inferendis Magistratui, asseverans, omne regnum in se divisum esse desolationi proximum, & beatos esse pedes evangelizantium pacem, Præsulumque esse munus, sacram discere paginam, & eam populo docere, atque mandans sub virtute obedientiæ, poenâque gravissima, ut pacis, non belli essent sectatores. Quo insuper tempore, cum priori anno Christiernus eadem Danis in Moschoviâ mercandi privilegia procurasset, quæ illic LXXII. Vandalorum obtinebant civitates, nunc iisdem per suum ibi perpetuum Legatum, M.







fiastici ac Politici quidam, his affines turbis, ad carceres rapiuntur, ac literæ per Stenonem Romam de Archiepiscopis perscribuntur.

Leo autem isto tempore intentus Vaticanæ D. Petro Ecclesiæ restaurandæ, suos per orbem expedit Christianum quæstores, novæ subsidium fabricæ per indulgentiarum prædicationem corrasuros. Quorum unus Johannes Angelus Arciboldus, in Scandiam destinatus, Daniam priori anno ingrediebatur; ubi Christierno MC. aureis numeratis, impetrat facultatem in Daniâ & Norvegiâ æruscandi. Per Germaniam verò id muneris nactus Albertus, Moguntinensium Archipræsul, suas committit vices Johanni Terzelio Dominicano, non Augustinianorum alicui. Qui plurimum ideò exacerbati, & præsertim D. Martinus Lutherus, de Ordine illorum, Vitebergæ Professor, occasione captâ ex immodicâ & avarâ nimium indulgentiarum prædicatione, in Terzelium, sociosque acriter invehitur. Et responso ab adversariis accepto, magis ad indignationem provocatus, contra ipsos, totumque Ecclesiæ Romanæ Clerum, sub protectione Saxonis se vehementius opposuit, & veteris per boreales Europæ regiones dogmatis, sensim composuit religionis novationem.

In Daniâ & Norvegiâ interim Christiernus per sequens sexennium crudelissimè dominatur, isto, & superiori, intermissam aliquandiu repetens tyrannidem. Siquidem intolerabilibus afflixerit incolas exactionibus; fontes supplicio mactaverit; Procerum spretis consiliis, Sibritæ veneficæ in quibuslibet auscultaverit negotiis; illustrissimo conjugis thoro sæpius neglecto, Divicam inviserit; prænobilem matronam, sui magistræ gynæcei, hujus ergò libidinis se meritò arguentem, bonorum privatione ac proscriptione mulctaverit; & spectabilem virum, Torbernum Oxe, concubitus cum Divicâ suspectum, securi submisit. Amplissimus verò Daniæ Senatus, præstantissimæ commiserit Reginae, scortum veneno fertur sustulisse.

Tantæ igitur famâ crudelitatis Sueones commoti, à Christierni regimine magis abhorrent. Quos ille armis propterea omninò subactus, & Gustavo petatum laturus auxilium, æstatis initio grandem comparat exercitum, & gladio simul Ecclesiastico præliaturus, Lundensi mandat Antistiti Birgero, pro veteri apud Sueones, Lundensium Præsulum jurisdictione, sententiam promulgare excommunicationis in Stenonem, & sectatores, propter impugnatum Gustavum, & Jacobum captivatum.

Is monenti non ægrè obtemperans, pridie sacratissimæ Pentecostes, minaces ad Suecos hâc super re literas conficit, quibus simul illos hortatur, ut Stenone repudiato, Christiernum eligerent Regem. Cujusmodi non ignorans Steno Dani molitiones, Stechium alacrius oppugnat, & Gustavus illarum ignarus, circa XXIV. Junii, colloquium Gubernatoris flagitat, moxque de subsidio propediem ex Daniâ sibi adventuro certior factus, illud recusat. Enimverò postquam Steno cum Senatu binis horis in pluviam illum expectasset, ac paratum se declarasset ad liberandum obsidione ipsum, sectatoresque, suis ubique bonis fruituros, si Christiernum repudiare, ac in patriæ defensionem simul vellent conspirare, suamque in frequentiam deinceps Ordinum excusare rebellionem, advenit serò præfectus arcis, affirmans intra sesquimensem, hujusmodi Archiepiscopum pactis non esse subscripturum. Hinc Steno confusus, in arcem continuo fulminat, & Christiernus jam paratis copiis, II. Julii, ad Ordines Sueciæ perscribens, illos invitat minis, blanditiisque, ad sibi obediendum, ac expeditis exercitus ductoribus suo nomine obtemperandum, alias graviter mulctandos.

Porro cum his navalibus turmis, suas & Birgeri literas transmisit, in



Sueoniâ Finlandiâque passim affigendas, ac novas ad Leonem Pontificem, & quendam destinat Cardinalium, quibus de Stenone questus est thronum Suecicum affectante; Regni Præsules & Proceres, pactis stare volentes, impugnante, spoliante ac captivante, obsecrat, ut contra illum, velut Ecclesiasticæ oppressorem libertatis, procederetur, nec se inscio, & ante regiminis Suetici resignationem, ab hujusmodi censuris absolveretur; pariterque orat, ne Archiepiscopam alteri conferret, etiamsi cognosceret Gustavum, illâ se abdicasse, quod sponte illud non esset facturus. Quartas verò literas & nuncios Lubecum ablegat, impensè flagitans, ut biennio mercatores Suecicâ superfederent negotiatione, donec Sueones expugnaret, peculiarem ipsis gratiam vicissim exhibiturus, & illorum consensum impetrat. Sed belli nervo destitutus pecuniâ, quintis compellat literis fratrem uxoris, agnatos & cognatos, dotem sibi cum illâ promissam, contumaciter postulans.

Principio interim Augusti, Joachimus Trolle Gustavi patruus, Severinus Norby, & Carolus, filius Canuti Alffsonii, cum Danicâ veniunt classe, ac militum IV. millibus in fauces Stocholmensium; & post quadriduum una in continentem cohors exposita, Roslagios populatur, moxque per Stenonem fugatur, uno capto, qui fassus illum Archiepiscopo missum esse subsidio exercitum. Quare Procerum aliquot destinatis ad Gustavum, ipsi Gubernator hostium intimat adventum, hortans, ut patriæ misertus nimium afflictæ, patruo suaderet reditum, Regnoque Sueciæ adhæreret. Sed huic occludit aures Præsul admonitioni, & hostis medio Stocholmiâ distans milliari, in terram descendit, ac Stechium versus tendentem Steno invadens, ad classem eos redire compulit, plurimis cæsis, captis & submersis. Superstites autem conversis prorsus, Oceanum repetunt; hujus accolæ flammâ ferroque affligunt; præcipue tamen Sudercopenses, Vestervicenses, Stegeholmenses, qui cum arce simul conflagrarunt; Oelandos, & Finlandos. Interea temporis Gustavus, sibi relatione quorundam captivorum, à Stenone destinatorum, amici exercitus profligationem, & reversionem cognoscens, Gubernatoris petit colloquium, arcem dedere paratus, modò securus ad Ecclesiam reditus sibi permitteretur. Atque responso accepto, quod ante tot hominum cædem, illud facere debuisset, propter quam officio nunc indignus esset Archipræsulis, affirmat utrumque sibi esse gladium à sede permissum Apostolicâ, & politico citra homicidii notam, ac officii amissionem, pro temporis necessitate, uti concessum esse.

Quamobrem de his Steno cum Ordinibus deliberaturus, illos Stocholmiam accersit, ipsumque simul Præsulem, fide publicâ munitum. Ubi suam aliquandiu causam frustra conatus defendere, tandem XXIII. Novembris, Statuum sententiâ cathedræ beneficio Upsalensis privatur; Stechii demolitio, ceu à primâ Regno perniciosi foundatione, approbatur; in hujus propugnationem decreti, ab Ordinibus conjuratur, & Gustavus ad castrum relegatur. Quod paucò post tempore, importunâ commilitonum flagitatione, ac hostium nimiam impressione coactus, Stenoni tradidit, protinus inflammatum, soloque adæquatum à furente plebeculâ, quam à cæde Gustavi difficulter admodum Steno coercuit. Deindè his de causis Archiepiscopam, ad manus Leonis X. (quam ope Christierni tamen sibi deinceps restitutum iri confideret) resignavit; nimirum quod Ordines, sibi propter damna patriæ, à Danis nuper illata, essent infensissimi; abnuerent decimarum solutionem, se cathedram occupante; quod literis, & jurejurando testati, pro Archiepiscopo ipsum se nunquam agnituros, nec ullum ab eo Sacramentum percepturos; & denique, nè suos



nè suos diutiùs affeclas hostium objiceret infestationi. Atque his se adhæsurum pactis, nec aliquo sub prætextu ad cathedram aspiraturum, per superos, & sancta Dei Evangelia, juravit, in cœnobium monachorum detrusus Arosiense, & verberibus illic contusus.

Mense pariter Novembri Christiernus Hafniæ cum Ordinibus Daniæ, de bello in Sueones consultat promovendo, & subverens, nè Norvegi suam pertæsi tyrannidem, duce, auspiceque Canuto Canuti, rebellionem molirentur, ipsum velut complicem paternæ quondam factionis, iniquissimè his comitiis accusat, & licet ab utroque innocens pronunciatum esset Senatu, nihilominus tamen decollandum procurat. Ex veteri quoque odio Johannem Beldenachium Ottoniensis Ecclesiæ Antistitem, multiplicis hinc criminis fraudulenter incusat, & præsertim, quod anno MDIII. citra Johannis Regis mandatum, Lubecenibus LX. aureorum millia promississet solvenda. Ac quamvis Episcopus sufficientem sui defensionem adduceret, tamen cathedrâ ipsum privat, & Archiepiscopo regni, velut superiori, asservandum commendat, donec hæc de re à Pontifice acciperet responsum; cui XVI. Decembris, perscripsit, Joannem seditionis, insuper homicidii & rebellionis, apud illum malignè insimulans, quem suis clam literis Arcimboldus, & Daniæ Præsules, protinus Romam missis, fideliter excusarunt. Hinc Christiernus Ecclesiasticis & Politicis Regni Optimatibus evasit odiosissimus, quem adeò formidarunt, ut nemo citra mortis timorem, suam in consultationibus auderet proferre sententiam.

Anno MDXVIII. XV. Januarii, Gustavus ex monasterio hortatus Arosiensi Patres Upsalenses, ad invigilandum orbæ commodis Ecclesiæ, ac subscribendum pactis Stechensibus, asseverat se firmiter his adhæsurum. Illius tamen restitutionem, Christiernus suæ percommodam esse promotioni considerans, de ipsâ sollicitat Leonem, ut etiam super Stechii restoratione, ac Erici Trollii liberatione. Quæ simul commisit negotia Johanni Arcimboldo, cum suis mercibus Sueciam in Martio ingredienti. Nam Christiernus, decretum in nuperis Hafniæ comitiis bellum in Sueones propediem aggressurus, illuc Arcimboldum, velut prodromum, præmisit, subjectionem incolis, Archiepiscopique liberationem persuasurum, habito cum fautoribus consilio regis, quos Legato manifestavit, vetans illos Stenoni prodere. Proindè Legatus in Sueciam adveniens, hincque invigilans, velut explorator inprimis contemnitur, & regni Ordines ab ipsomet per literas moniti deinceps Pontifice, ut Archipræsulem libertati & dignitati restituerent, arcemque repararent, aliàs censuris multandos, ad Romanum provocant tribunal.

Undè Regis malevolentiam, & Sueonum innocentiam, Legatus magis indies comperiens, illo deserto, his cæpit adhærere, & favere, quorum singularem expertus esset benevolentiam; erga templum Petrinum munificentiam, & miram in Leonem X. observantiam, prout suis ad ipsum postea testatus est literis. Hortatus prætereà fuerat Pontifex Christiernus, ut Joannem Beldenachium, Lundia detentum, restitueret officio & beneficio, nisi pœnas mallet Canonum incurrere. Sed is surdâ excipit aure admonitionem, Romanum parvi æstimans fulmen, sic novo Lutheri dogmate informatus, quod, ipsi propinantibus illud avunculis, Saxoniam Electoribus, modicè hæcenus libaverat, in Daniam postmodum universam, operâ præsertim Johannis Tausonii, propagatum. Fuit ille natus in Fioniâ, & monasticen professus Johannitarum Antverscogiæ, quem Eschillus cœnobii Abbas, ingeniosum animadvertens, ipsum Coloniæ expeditum, in studiis aluit liberaliter, ibique lectione operum Lutheri



Lutheri provocatus, Vitebergam contra Eschilli mandatum abiit, Lutheroque illic aliquandiu auscultato, Rostochium migravit, & laureâ hic Magisterii donatus, ad claustrum remeavit Antvorschogense, ac contubernilibus opinionem Vitebergenfium infinuavit.

Primordio autem hujus ætatis, Christiernus petit infestus Stocholmiam, ex australi eam suburbio frustrâ impugnans, mense Junio, & inaudiens Stenonem à tergo sibi cum exercitu imminere, obviam illi progreditur, à quo sub Brennechyriâ XXII. Julii profligatus, ad castra remeat suburbana. Quando probè comperiens, diuturniorem illic moram plus periculi quàm commodi hâc vice sibi allaturam, reditum indè parat, Stenoque in hostem ad naves festinantem effusus, plurimos in aquam fugavit, protinus submersos, & CCC. captivavit, quos Danus, lytro numerato, mox recuperavit, & Oceanum versus navigavit. Sed adversâ diu tempestate in faucibus detentus, accolâs prædatur, & Upsaliam, pagosque exurit propinquos. A quâ prohibitus tandem excursione, horrendâ cœpit fame laborare, adeò ut propterea militum permulti ad Stenonem profugerent. Undè metuens Christiernus, nè cum reliquis inediâ, & brumæ sævitiâ, hostiumque illic conficeretur malitiâ, convertitur ad dolos, quorum fuit locupletissimus. Simulat verò inprimis, misso ad Stenonem caduceatore, pacem inter Regna perpetuam cum ipso se paratum inire, super hâc poscens illius colloquium, in quo Stenonem perimere, vel capere, moliebatur. Fraudis ille inscius, & pacis cupidus, huic lubens consentit, Regemque porrò ad illam provocaturus, commeatum ipsi liberalissimè subministrat, & ab eo in classem blandissimè invitatus, illuc parat intrepidus abitum, quem tamen dissuasit Senatus Stocholmensis. Undè tantam sibi prædam Christiernus ereptam dolens, & alios Sueticorum Procerum capturiens, fingit semet paratum, idoneos nactus obsides, venire Stocholmiam de pace cum Gubernatore illic consultatum. Illâque novâ Steno victus fraude, sex nobilissimos viros, quos inter Gustavus Erici fuit, ad perfidissimum expedit tyrannum, pro iis totidem promissos frustrâ expectans obsides.

Enimverò Danus illos adeptus, ventumque secundum, inde navigat in Daniam, & Severino Norby Gotlandiæ præfidi, Sueonum mandat infestationem, captivosque diversis mancipat reversus domum custodibus. Quorum illustrior adolescens Gustavus, suo cognato Erico Baner, in Kalloegenfi traditur castro asservandus, VI. millia Joachimicorum Regi numeraturo, si Gustavus indè fugâ evaderet. Deindè per fratrem Arcimboldi, sua profugo Regi obsequia deferentis, in Daniam ineunte brumâ expeditum, Legato rescripsit, orans, ut suis opitularetur sectoribus, & Sueones ad inducias permoveret aliquantulas. Sed Ordines hâc de re per Arcimboldum admoniti, nè mentionem quidem perfidissimi Regis, multò minus induciarum sancionem, audire voluerunt, assidentes, etiamsi filius regius daretur obses; non tamen se induciis velle fidere, antequam Optimates fraudulenter in Daniam abducti, essent patriæ restituti. Verùm quoad liberationem Archipræsulis, respondit Steno, de illâ per Legatum quoque molestatus, in comitiis, Decembri mense celebrandis Arbogiæ, causam Gustavi ventilandam esse.

Illic autem in confessu Ordinum productus Gustavus, cum Erico parente, à Stenone in præsentia Legati, multorum criminum accusatur, & quàm fuerit patriæ hætenus perniciosus, plurimis documentis probatur, daturque illi optio, jure, vel amicè litem vellet transigendi. Quamobrem Arcimboldi, & Patrum Upsalensium suasu, amicam amplexus prudenter transactionem, in gratiam cum Stenone, Legati præcibus



cibus inclinato, rediit; Archiepiscopam denuò ad manus Leonis resignat, & Echolmium cum parente simul liberato abiit, ibi tranquillam imposterum acturus vitam. Sub idem tempus, coram Arcimboldo, Jacobus Gustavi antecessor, de suâ protestatus innocentia, obsecrat, ut de ipsâ Leonem informare, seque à conspiracy in patriam crimine fraudulenter imputato, excusare non gravaretur. Steno autem, & Ordines per Arcimboldum Romam protinus rediturum, offensi gratiam Leonis recuperaturi, cathedram illi conferunt Upsalensem, Pontificis confirmationem impetraturo, & operâ interim vicarii in Sueciâ usuro, Regnique negotia eò fidelius procuraturo. Atqui Leo nimium iratus, propter non restitutum adhuc Gustavum, perperamque ab ipso, & Dano informatus ac instigatus, decretum intereà excommunicationis à Birgero Lundensi antea prolatum forsân confirmat, ipsum hujus executorem, Christiernumque deputat, & rebelles C. millibus aureorum mulctat. Quod mandatum in civitatibus affigitur Vandalicis, cumque applausu à Danis ac illorum fautoribus suscipitur, itâ firmatum autoritate Romanâ.

Anno MDXIX. Johannes Angelus Arcimböldus, partibus Stenonis ob dictam promotionem totus adhærens, II. Januarii, significat Leoni suum in Sueciâ successum; Arbogensem cum Gustavo processum; quàm Archiepiscopo populus regni esset offensus; & quâ illius Gubernator erga sedem Apostolicam observantiâ succensus, promittens copiosius de his Pontificem, ubi reversus esset Romam, se informatum. De hac verò Legati cum Suecis collusionem, & secretorum proditionem, factus certior Christiernus, præmissum ex Sueciâ in Daniam hujus anni principio, fratrem Arcimboldi Antonellum, famulosque, & opes ex Scondiâ cumulat, custodiæ & aresto mancipat; illorum sarcinas perlustrat, literas Romam à Legato perscriptas intercepturus; & ipsum protinus subsequenter Arcimboldum, mandat Lundiaë detinendum. Hic primùm ipsi status fratris, rerumque innotuit præmissarum, & quòd Sibrita suaserit suam ac sociorum submersionem, omniumque expilationem bonorum. Itaque suæ meritò vitæ timens, de his cum tyranno per literas, VIII. Aprilis, Lundiâ expostulat; fratris cum thesauro flagitat solutionem, M. adhuc Regi numeraturus aureos, & præsubitâ fugâ Calmarniam Sueciæ remeat, indeque Lubecum navigat. Ubi Stenonis & sectatorum affixam deprehendens excommunicationem, de suâ & Sueonum causâ desperat, Romæ promovendâ, ac divitiis fermè omnibus in Scondiâ corrasis, Dano permissis, cum illâ protestatione, quòd ipsas nunquam repetiturus esset, nec Christierno damnum ullibi moliturus, Antonello tandem impetrat libertatem. Sed Legati vicarius in Gotlandiâ quæstor, Regis illic mandato submergitur, gladium non ampliùs Petri num formidantis, Lutheroque adstipulantis.

Illo tamen gladio ille Sueones hoc tempore vehementer impugnat, spargens se constitutum à Leone vindicem sententiæ contra Stenonem & complices latæ, & non executioni mandatæ. Nec illo contentus, Politicum etiam educit, classem in mare producit, & naves Lubecensium ac Rostochensium Sueticis oneratas mercibus, captas abducit, illique proptereâ Sueonum congressâ, profligat, binis occupatis navigiis. Hanc igitur suorum cladem Rex vindicaturus, auctioribus copiis Oelandiam invadit, & Borholmio expugnato, firmatoque, Calmarniam aggreditur, indeque fugatus, Oceanum repetit. Et interim DCC. equites, obsidentibus in subsidium ex Daniâ missi, Calmarniæ appropinquant,



pinquant, commilitones abcessisse ignorantes, hisque Steno in Smalandiâ congressus, omnes propemodum tradit internecioni. Post in Oelandiam profectus, Borholmium Danis frustra conatur eripere. Modicum itaque Danus hoc bello contra Sueones lucratus, novum pro sequenti parat anno, immenso ex Daniâ, Norvegiâ, Holfatiâ, Germaniâ, Galliâ, Polonia, Angliâ, Scotiâ & Prussia, precibus ac preciiis cumulado sub finem hujus anni exercitu. Atque hujus sustentationi permultum pecuniæ sciens impendendum, illam ex Danis ac Norvegis per fas & nefas corradit, mutuando, non solvendo, rapiendo, intolerabiles Ecclesiasticis juxta ac Politicis imponendo contributiones, & cujuslibet sibi opes, velut proprias, more tyrannorum vendicando, perque vim auferendo.

Ita milite ac belli nervo abundè cumulatis, omnem Sueonibus commeatum prærepturus, & suis illum castris ex Vandalia provisorius, operâ patrum, & quorundam aliorum Principum, cum Lubecensibus, ut annua cum Suecis negotiatione non gravarentur superfedere, ac regio tantum exercitui providere, sedulo nunc agit, aureos ipsis vicissim spondens montes, & ferreos intelligens, in tela convertendos, in Lubecenses deinde collimanda. De hac verò expeditione Gustavus Erichsonius quotidie auscultat Danorum jactationes, Suecis minantes, execrantes, & calumniantes, quorum pertæsus, immeritæque simul captivitatis, mutato habitu, Kallœgiâ Lubecum profugit, illuc XXX. Septembris, post innumera vitæ pericula, & viæ molestias perveniens, ac postulatam morandi securitatem obtinens. Quem protinus insequens Ericus Baner, illic de fuga cum ipso, contra fidem se in Daniam abductum commemorante; de suâ illegitimâ captivitate protestante, ad Senatusque sententiam provocante, graviter exostulat, & ad reditum sollicitat. Iraque lis in Senatu proposita, per Ericum, & simul Christiernum urgetur, captivusque vigore contractus Malmogensis, de profugis non fovendis præter alia loquentis, repetitur. Qui acriter suam defendit causam, & tamen illâ cecidisset, in Daniamque remissus fuisset, nisi Consul unus, Nicolaus Brems appellatus, strenuum se ipsi patronum exhibuisset, ac securum aliquot mensibus hospitium illic præbuisset.

Cæterum X. Decembris, de vita migrat terrestri, ad cœlestem, eximius Lundensium Præsul M. Birgerus, in hypogæo basilicæ, suâ liberalitate pietateque eleganter restaurato, magnificè tumulatus est. Per XVII. deinceps annos, Ecclesia multis agitatur tempestatibus, sub V. Archiepiscopis, quorum primus fuit M. Achatius Sparre, ibidem Decanus, VI. post obitum antecessoris die, concorditer electus. Verum initio hujus anni, nascitur Christierno filius Johannes, & sequenti, Dorothæa filia, Palatino nupta postmodum Friderico.

Anno MDXX. Christiernus Borenholmiam sibi protinus Sueciam impugnaturus, peroportunam considerans, illaque se facilius confidens potiturus, si M. Georgius Scorborgius, sibi à secretis, Birgero in cathedra succederet Lundensi, Borenholmia domino, Achatium impellit, ad ipsam Georgio permittendam, quam ideò consequitur, V. Januarii die. Sed Ostrogothiæ Præsul Johannes, B. Nicolai canonizatione, sui in officio prædecessoris, tandem impetratâ, corporis translationem celebrat, & illam quotannis Dominica V. ante Pascha recolendam ordinat, ipsumque hoc anno festum inchoat, in quo populus frequens insignia obtulit dona, pro capite S. Nicolai argenteo quantocyus fabricando. Johannes verò Beldenachius, biennio hætenus Lundia detentus, XXII. Aprilis, Christierno minis territo Pontificiis, reconciliatur,



atur, nullibi hanc porrò litem, sub pœna XXX. millium aureorum, illi moturus, LXXX. præterea Regi millia numeraturus, & Episcopam resignaturus Ottoniensem, de cujus esset aurum proventibus Christierno solvendum.

Qui copias interea Sueciam versus ampliffimas expedit, illas Ottonne Krumpio ducente. Nec minores Steno contrahit, cum parte illarum hosti obvians in Bogesundensi lacu regni limitaneo; ubi proditus à satellite profugo, tertioque per alterum crus telo trajectus tormenti, XIX. Januarii die, à nonnullis commilitonum, ad locum transportatur tutiorem. Residui autem congressi adversariis munimentum invadentibus, illos bis inde repulerunt, & tertiæ impressioni succubuerunt. Victores deinde iter urgentes, Calendis Februariis, in alterum incidunt Sueonum propugnaculum, ex sylvâ objectum Tyvegianâ, indeque multâ suorum clade profligati, per inviâ, ductu quorundam proditorum, illud pertranseunt, & paulisper regressi, præsidarios à tergo invadunt, superantque. Illum hostis successum Steno cognoscens Stregnesiæ, & timens, nè Gustavus ipsi se adjungeret, Mathiâ Sudermanniæ Præfule, cum aliis Procerum quibusdam, ad illum destinato, Echolmii morantem, suadet, ut patriæ fidus persisteret, & assensum obtinet, querelasque Gustavus de illis movet gravissimas, qui perversis se suis consiliis, ad tantam cum Stenone cognato discordiam fraudulenter protrussissent. Atqui Stregnesiâ festinans faucibus Gubernator Stocholmiam, IX. Februarii, dolore ac mœrore in viâ expiravit, funusque ad Regiam perlatum, in Ecclesiâ Franciscanorum insulanâ sepelitur.

Bellacissimo igitur exercitus Regni Principe orbatus, dilabitur, & Ordines de alio quidem consultarunt aliquoties Polemarchâ subrogando, & hostibus profligandis, sed convenire nequiverunt. Itaque Dani securè procedunt, flammâ, ferro, & rapinis incolas affligunt, bullamque Pontificis in Stenonem ac complices passim affigunt, immunitatem omnibus pollicentes, qui obedientiam Christierno sponderent, & Arosiam contententes. Inde verò Sueci ipsos exacturi, hortatu Christinæ, quam Steno liquit conjugem, frequentissimi prope Stregnesiam concurrunt, & certo destituti moderatore, hostibus illuc advolantibus, diffugiunt, Thuronis Joannis, pro Gubernatore semet obrudentis, detrectantes imperium. Illorum tamen primarii ad castrum diverterunt Tonnelsegense, & habitâ per noctem deliberatione cum Mathiâ Episcopo, postridiè ipsum, fide publicâ munitum, ad hostem destinant, Stregnesiæ confidentem, à quo pridie Cineraltiorum, XI. dierum obtinet inducias, consultationi Sueonum concessas, ut interim vel Regis susceptionem, vel impugnationem decernerent. Alter medio tempore Christierni exercitus, Westrogothos inprimis aggressus, ad promittendam Dano subjectionem eos compulit. Deinde congressus Ostrogothis, XXIII. Februarii, ad eandem ipsos permovit, & IV. millium marcarum solutionem, jure, ac privilegiis, omniumque condonatione offensarum, gavifuros, atque regiis auxilium copiis, & reditum per Gothiam securum, si conjectæ in fugam ab Uplandis essent, præstituros.

Jam finis belli feriis imminebat in Uplandiâ, & partium consensu alius Upsaliæ conventus indicitur, quò Gustavus se conferens, abjuratam occupat cathedram, & cum Johanne Lincopensi, ac Ottone Arosiensi, Episcopis, atque VII. aliis Regni Optimatibus, præsentem Sueciæ statum ponderat, cognitaque Ostrogothorum, Vestrogothorum, Sma-landorum & Uplandorum, voluntate, vel potius necessitate, sicut etiam



sufficienti à præsentibus Regis chiliarchis acceptâ cautione, de juribus patriæ & consuetudinibus, illibatè servandis; insuetis non imponendis contributionibus, firmaque quarumlibet offensionum amnestia, XXIII. ante solennia Paschatis die, Christiernum designat Regem, Ordinum nomine universonum. Illos protinùs suis & assessorum hortans literis, ad subscribendum quantocyùs electioni, aliàs hostili affligendos excursionem. Postridiè itaque Polemarchæ hæc suis roborant sigillis pacta; inter Scandiotas pacem restaurant; amissorum restitutionem fundorum promittunt; Borcholmensem & Elsburgensem, aliasque Sueciæ arces, post regiam inaugurationem indigenis spondent resignandas. Atque super his omnibus, Christierni firmissimum diploma, Ordinibus Regni propediem offerendum pollicentur, sparsisque quaquaversum literis, ipsos ad constantiam hortantur, & rebellibus minantur.

Siquidem verò hos inter potissima esset Christina, cum Stocholmensibus, & aliis sectatoribus, Upsaliâ Sueones, & Dani pergunt armati Stocholmiam, hostis animum exploraturi, indeque repulsi, auxiliarem in faucibus maritimis accedunt classem, adversariis ex Vandaliâ missam, Ad quam reditui accinctam non permitti, recedunt ad hyberna, Upsaliæ, Arosiæ & Stregnesiæ assignata. Sed Christina, ope Vandalarum fraudata urbium, expedito ad Regem Poloniæ, M. Canuto, militem pro liberali flagitat salario, & non impetrat, quòd Polonus Dano fœderatus esset, illique copias permisisset ex Prussiâ stipendiarias. Dantischi tamen Canutus filium Stenonis Nicolaum, velut loco tutiore jussu matris reliquerat, & illa domesticis freta subsidiis, hostem non modicâ passim clade afficit. Siquidem Christianæ centuriones in regnum progressi, & hostibus congressi, victores subindè redeunt. Quando Ostrogothorum quidam suum obsident Lincopiæ Præsulem; Nericii Ericum Abrahami captivant; Vesmanni profugos cædunt Danos, prælio Balingsafensi; Stregnesiam sæpe incurfant, quòd Mathias Uplandis continuò suaderet Regis admissionem; Sudermanni, sub oppido Telgenfi cohortem invadunt equestrem Mathiæ, verùm infeliciter; prout etiam alius Christianæ exercitus, qui Danis die Parasceves Upsaliæ congressus, miserè profligatur, dum partâ fermè victoriâ, ad prædas versus per urbem vagaretur. Quam deinceps ulturus cladem, tertius Stocholmiâ erumpit, Arnægiam incendit direptam, & Jacobum indè captum abducit, intermissâ Upsaliam excursionem. Quando similiter præsidiarii Arosiensès, in urbem effusi, Ottonem illius Episcopum, in arcem pertrahunt ex Ecclesiâ captivum; nec impune adversarios subindè laceffunt. Ita gens Sueonum infausta, Dano spectante, & cachinnante, in mutuam ruit perniciem!

Christiernus ex his Sueonum velitationibus, indubiam sibi victoriam promittit, & per suos monitus centuriones de statu Sueciæ, literisque hùc mittendis, Hafniæ octiduo ante Pascha, suo & Procerum Danicorum sigillis, decretum approbat Upsalense; non Optimates modò, sed etiam permultos plebejorum suis hæc super re compellat literis; pacta illis firmat, ad constantiam invitat; plus calamo quàm gladio pugnat; suum ad ipsos adventum denunciat; ac tempore Pentecostes sub Stocholmiam delatus, accitis eò copiis, illam quadripartito impugnat agmine. Et licèt catervatim Præsules & Proceres Regni ad ipsum confluerent armati, tamen Stocholmensès comœatu militeque abundanter instructi, potentiam illius minimè formidarunt. Hinc Danus reliquos Sueonum sibi magis devincturus, denuò pacta confirmat Upsalensia universis



& singulis fautorum; quemlibet blandè compellat, agricolas turmatim ad castra invitat; illorum fautores præfat; & singulos modio salis, quòd hujus laborarent inopiâ, donat redituros. Quâ etiam Smalandos arte inescavit, Vestrogothos & Vermelandos, qui æstatis initio Blechinganis ideò fœderantur.

Porrò hæcenus prænobilis Heros Gustavus Erichsonius, Christiernum in patriâ grassantem metuens, Lubecæ delitescit; Stenonis mortem, & Sueonum sortem deplorat, illosque Gubernatore destitutos suo diutius nolens defraudare auxilio, quibuslibet contemptis periculis, quorundam ope Lubecensium, in Sueciam hoc tempore navigat intrepidus. Et clàm in littus Smalandiæ expositus, atque Calmarniæ à Danis obsessæ per amicos intromissus, prædiarios natione Germanos, hortatur ad strenuam tantæ munitionis defensionem. A quibus ideò velut causæ Danicæ additis, ad mortem quæsitus, Sueonum patrocínio incolumis indè pergit Uplandiam versus; crebrisque hoc itinere periculis expositus, dum agricolas variis dehortaretur rationibus, à Christierno in Regem suscipiendo, quem illi fraudibus seducti, mordicis defenderunt, & sagittis Gustavum impetere decreverunt. Hinc tamen salvus, & incognitus, ad suum pervenit hæredium in Sudermanniâ, Refsnesium, illic aliquandiu latitans, & transactionis cum Dano catastrophæ expectans, de qua subindè cum Jacobo Archipræsule emerito, apud vicinos nunc morante Carthusianos, suoque & totius patriæ afflictissimo statu præfagè differuit. Verùm post Gustavi abitum, Lubecenses, cum semestri temporis promisso spacio, in gratiam Regis, non citra grande rerum suarum detrimentum, negotiatione supersedissent Sueticâ, illam, missis ad Reginam Legatis, minaciter repetunt, & extorquent, à Christierno deinceps etiam confirmatam; utpote, qui gravissimâ commeatus inopiâ pressus in castris sub Stocholmiâ, suis literis Lubecum destinatis, copiam civibus in Sueoniam navigandi facit, obsecrando pariter, ut commeatum præcipuè suo apportarent exercitui, novâ sic benevolentiam illis devinciendus, & nonnihil impetrando, aliàs ob victualium penuriam non tanto continuasset tempore obsidionem.

Sed per brumam, quæ foribus imminebat, nulla indè hujusmodi expectans subsidia, & Stocholmiam rerum quarumlibet ad defensionem necessariorum affluentem, fame, vel armis, sibi haud expugnabilem probè animadvertens, dolosis illam colloquiis decrevit superare, ac interim violenter Arosiam occupare, quòd crebræ fierent indè procurfiones in suos fautores. Proindè aliquot illuc cohortibus transmissis, non incruentâ castrum occupat victoriâ, & præsidem illius Magnum Johannis, patriæ amatorem, atque hostium osorem acerrimum, ad sua perductum castra, arctæ custodiæ mancipat. Deindè ad colloquium, difficulter à Stocholmensibus impetratum, aliquot Sueonum Proceres destinavit, quorum primarius fuit disertissimus ille Hemmingus Gaddius, in hunc reductus finem ex Daniâ, & seductus à Christierno, multimodis conatur suadere rationibus, Christianæ, ac sectatoribus, urbis deditioem, à quibus propterea fermè trucidatus fuisset. Attamen populari sedato tumultu, demùm post aliquot hæc de re congressus, V. Septembris, consentiunt infelices deditioem, ac Regis electioni, his potissimum conditionibus:

Inprimis pacta comprobaret Upsalensia Christiernus. Deinde quaslibet Christianæ, & sectatoribus, nobilibus ac plebeis, civibus atque servitoribus, injurias, quas vel avo, vel parenti, vel sibi, vel asseclis, Jacobo, Gustavo, Ottoni, Episcopis, per Stechii demolitionem; Arnæggi direptionem; illorum, & aliorum, captivationes spoliationesque,



vel aliis quibuscunque, Ecclesiasticis vel Politicis, & quascunque unquam irrogassent, ita quod nulla penitus horum excessuum amplius mentio esset facienda, multo minus reprehensio permittenda. Specialem postea Christinæ, cum liberis, possessionibus, & famulis, sub protectionem ac defensionem susceptæ, in feudum concederet Tavastburgum superstiti; latifundium Kumanum, cum ditionibus subjectis; parochiam Aschefundensem; insulam Mærchensem; Sunderbogiam, & territorium sub Echesiogiâ Vestraherense. Ac illius per motus insuper petitione, his includit pactis absentes, nominatim Gustavum Erichsonium & Arvidum Kurch, Abogiæ Præsulem, cum aliis IV. Finlandiæ Optimatibus. Ac civibus denique Stocholmensibus vetera novaque roboraret privilegia; captivos promisso liberaret; & non Regem modò, sed parentem his ac universis regni incolis se futurum ille crocodilus simularet. His proinde aureis Stocholmenses promissis atque literis confidentes, tyranno spondent obedientiam, post biduum ipsi portas arcis & civitatis patefacturi; fortassis etiam parati, dirutâ mœnium parte, hunc introducere crudelissimum perfidissimumque Phalaridem, in propriam, velut infausti olim Trojani, equum induxissent durium, pro dolor, perniciem.

Septembris itaque die VII, Regem uno equitum, & binis peditum millibus stipatum, hilari solennique pompâ in urbem & arcem inducunt Sueones. Qui mox in utroque furrigit foro patibula, & sub uno post triduum, crudelissimo Magnum Johannis, contra pactum de captivorum omnium immunitate nuper sancitum, ob fidelem patriæ operam navatam, afficit supplicio, virilibus patienti abscissis, cordeque protracto, & in faciem projectis. Attamen reliquis Sueonum se fingit blandissimum, quos gratiosis invitat literis, per regnum publicatis, ad suam IV. Novembris peragendam inaugurationem. Ast in Finlandiam Hemmingum Gaddium expedit, qui secum missis à Dano tribus centurionibus, Viburgum, Abogiam & Rasburgum, facundo expugnata sermone, tradit gubernanda. Hâc itaque potitus, arte non Marte Christiernus universo Suecorum imperio, peregrinum exautorat militem, aliquot ex illo cohortes in subsidium Principi Borussiæ Polonum impugnanti, destinans, & pro reliqui exercitus solutione sustentationeque, grandem Sueonibus argenti contributionem imponens, ac Daniam navigio repetens, cum hujus Proceribus de tantâ ferâ cassibus suis demum implicitâ, conservandâ & gubernandâ deliberaturus.

Audivit hætenus satis Christiernus de audacibus Martini Lutheri conatibus in Saxoniâ, & ipsos admodum probavit, velut Pontificum Romanorum, ac Episcoporum potentia opulentiaque sibi vehementer exosurum, adversarios. Ac his potissimum de causis, non aliquo religionis zelo, illos hic atheus in Scondiam quoque propagaturus, opesque ac fundos Cleri Scondici corrasurus, post suum ex Sueciâ reditum, à Saxone avunculo poscit aliquem hujus peritum dogmatis sibi destinandum, & quendam Martinum, haud ineruditum, obtinet concionatorem. Hic de mandato regio festis & Dominicis diebus post meridiem, in Ecclesiâ Hafniæ parochiali contra veterem perorat religionem, cum maximâ vulgi approbatione, sed Episcoporum Presbyterorumque detestatione. Qui fidei innovationem, miramque in cathedra gesticulationem, ipsi exprobrarunt; adversarium objecerunt, Doctorem Paulum Eliæ, Carmelitam Helsingorensis, & Christierno ejus patrono, summo perè insultarunt, ac de ipso sextum in prophetiâ S. Birgittæ, Regem esse



esse interpretandum alleverarunt, probaruntque. Sciendum porrò quòd Lutheri deinceps assertio, in civitates Scandiæ maritimas, per milites & institores alienigenas, ac studiosos indigenas, Vitebergâ in patriam reversos, fuerit illata primùm, & Stocholmiæ, Sudercopiæ, Norcopiæ, Calmarniæ, Bergæ, Allogiæ, Hafniæ, Malmogiæ, ac quibusdam Jutiæ urbibus, propagata, indeque per reliquum Scandiæ fœcundè ac jucundè, prout ex progressu operis constabit, profeminata.

Quibus in Daniâ rebus, aliisque pro voto confectis, in Sueciam cum uxore remeat Christiernus, & hanc perpetuæ sub Dania servituti mancipaturus, Senatam illius, XXX. Octobris, in cænobio congregatum infulano, ex falsâ legum municipalium interpretatione, cogit ad scribendum se throni Suetici legitimum hæredem, ac Calendis Novembris, reliqui Ordinum, in monte Brunconio, militaribus circumdati turmis, huic etiam subscribere decreto adiguntur. Post quatrimum verò Socholmiæ, Regni donatus ab Archipræsule Gustavo insignibus, per susceptum sanctè jurat Eucharistiæ Sacramentum, quòd pacta cum Sueonibus facta illibatè esset servaturus, & nullo illorum, sed Danis Germanisque aliquot, cingulo decoratis Equestri, aureum vellus à Cæsaris præsentatum Legato, in Ecclesiâ capessit, & ita ornatus ad castrum recessit. Illic epulo per triduum convenas magnifico excipit, convivis omnibus, & præsertim Suecis, se comen affabilemque exhibens, ac illâ Regis benevolentiam, plus quàm dapibus exhilarati Sueones, ignorabant, quòd sanguine impensas hospiti forent actutum soluturi.

Enimverò tyrannus interim de Suecis idem volutabat animo votum, quod Caligula olim de Romanis, optans secum tacitè, Proceribus Sueciæ unam esse cervicem, ut illam unico liceret ictu amputare. Ac Danorum sibi fidelioribus cruentum manifestabat consilium, insinuans, violatam toties à Suecis fidem, avo, parenti, ac sibimet præstitam, se paratum vindicare, & sub honesto quopiam prætextu Optimates Regni extirpare, nè ductu illorum amplius plebecula, quantumvis oneribus pressa, rebellionem moliretur. Placuit iis consilium, & varios sceleris patrandi suggerunt modos, quorum duo potissimum tyranno arriferunt, nimirum, quòd sparso per acropolim copiose tormentario pulvere, Sueonum primarios in suspicionem proditoris hinc vocatos, posset commodius trucidare. Et quòd utrique Archiepiscopo tanta inflixissent damna, nec admonitioni, execrationive obtemperassent Pontificiæ, ex commissione sibi executionis à Leone X. mandatâ, sicut etiam permissione Divinâ, velut superbientes, & imperio summi Sacerdotis obedire nolentes, posset de medio tollere adversarios. Ille propterea solus hâc machinatione scrupulus remansit, quod regiis literis & juramentis, hujusmodi Suecis culpæ forent condonata, quem M. Theodoricus Slaghecius, sanguinariorum primarius, non difficulter removit, asserens Regem pro suâ, non Archiflaminis Romani personâ, indulgisse Sueonibus; nec præ odio animadvertens Leonis decretum, solam Stechii restorationem; damnorum compensationem, & propter contumaciam, exigere à Suecis centum mille Ducatorum solutionem, ærario Romano inferendam; vel pendens eum nunquam morem, aut tantum rigorem, similia plectendi delicta, in foro viguisse Ecclesiastico.

Quamobrem ex instigatione Regis, Archipræsul Gustavus, VII. Novembris die, ipsemet etiam vindictæ cupidus, in iudicio hâc de causa subdole ordinato, comparens, vehementer de Stechensi conqueritur obsidione, demolitione, suâ captivatione, & lethali vulneratione; injuriam, damna-



damnaque sibi ac Ecclesiæ illata Upsalensi, decies centenis librarum argenti millibus æstimans, & horum nomine accusans socrum Stenonis, Sigridem, uxorem illius Christinam, ac XV. harum sectatores, cum Senatu, & civibus Stocholmensibus. Hos etiam propter captivatos, & spoliatos, Jacobum seniore, Ottonem Vesmanniæ Præsulem, ac M. Jonam Upsalensem Canonicum, incusans, Regem pro tribunali sedentem obsecrat, ut sibi justitiam administret, & reos in vincula interim conjiceret. Aderant verò non illi solum omnes, sed quotquot fermè neci destinasset tyrannus, alio sub prætextu convocati. Quos inter gravis oritur lamentatio, & Christina se, maritumque defunctum excusatura, Ordinum literas producit, Stechii demolitionem, & Gustavi captivationem asserentes. Quibus palàm recitatis, quotquot illis subscripserant, ad carceres rapiuntur, præter Braschium, quem scheda, in sigilli cerâ latens, & ipsum non ultrò consensisse attestans, liberavit. Evasit pariter Otto, Arosiensium Episcopus, quòd captivus propter navatam Christierno operam fuisset; & non Matthias Sudermanniæ præsul, licet de regiâ promotione melius esset multò promeritus. Cui hanc ob causam Rex clam fuit infestus, quòd aliquoties Legatus in Daniam missus, pacta cum Regibus quædam inivisset, non deinceps servata. Quamvis non ipsi, ast Danis illud, velut decreti prævaricatoribus, esset potiori jure imputandum. Deindè catervatim in carceres detruduntur cum servitoribus plurimi, querelâ non comprehensi Archipræsulum, quos inter Vincentius, Westrogothiæ Antistes, quòd patriæ defensionem contra Danos consilium & auxilium gnaviter attulisset, illis, reliquisque nequicquam de violentiâ protestantibus, ad literas, & regium juramentum appellantis, ac Divinam inclamantibus vindictam, frustra pro ipsis Legato Cæsaris interpellante.

In multo fuit etiam periculo ipsemet Gustavus, quòd mortis in istos sententiam non postularet, quem ideò Tyrannus graviter increpuit, & sequenti die, illum cum nonnullis de quâlibet cathedrali Sueonum Ecclesiâ doctioribus Presbyteris, judicem captivorum constituit, & Johannem Ostrogothiæ, Ottonemque Vesmanniæ, Præsules, actoris & judicis simul officio functuros. Qui proindè VIII. Novembris die in quodam arcis conclavi violenter inclusi, inscios & absentes, suis literis illic confectis, ac tyranno porrectis, captivos damnare hæreseos compelluntur. Postea immisso ad captos carnifice, Tyrannus illis mortem denunciat in foro urbis primario mox oppetendam; postulatum ab ipsis sacerdotem, cui facerent exomologesin, denegat, corpus animamque simul perempturus; portas civitatis obserat, custodibus mandans quidem intromittere adventantes, sed neminem emittere, nè tyrannidis suæ fama per regnum divulgata, incolas vindicatum acciret. Insuper nè quis domo exiret, severe prohibet, atque copias & machinas militares, à castro usque ad supplicii locum, civilem prohibiturus tumultum, horribiles disponit. Tandem circa meridiem captivi producuntur, Senatus orbis, & urbis, aliique Optimatum permulti, quorum primi Matthias, & Vincentius, Episcopi, medios inter lictores ducti velluntur, truduntur, & retruduntur. Qui tamen, ut graves & eâ decebat professione viros, nequaquam vultum gerebant abjectum, sed modestum, venerandumque oris habitum. In circo autem supplicii, pro foribus prætorii constituti, potestatem sibi fieri sacerdotis iterum frustra poscunt, & accusati variorum criminum, inique per Nicolaum Lychium, ex Daniæ Proceribus unum, ac præcipuè, quòd cuniculis sub castro

structis,



structis, Regem perdere voluissent, falso criminati, luculenter suam innocentiam, & Dani perfidiam, astantibus prodiderunt; Sveones ad vindicandum sanguinem innoxium, & tyranni jugum excutiendum, lacrymabili sermone admonuerunt. Ac demum à furenti carnificum turbâ, militeque insaniente, in terram prostrati, capitibus truncantur universi, vestimentisque nudantur. Verum servitores in proximâ suspenduntur furcâ præsentibus, & hujus cædis inficii advenientes, qui in civitatem intromissi, ex equo ad patibulum rapiuntur, cum ocreis & calcaribus in crucem aguntur; mortuis patibula vacuantur, ac vivi stipantur, eaque durat triduum laniena.

Atqui postero die Rex multos cædi quoque destinatos, comperiens ex latibulis per apparitores non produci posse, edicto impunitatis proposito, illos evocat, & prodeuntes trucidat. His etiam compatientes solum in circum protrusos, vitâ spoliât, tantusque per triduum sanguis profusus est, ut illo decliviores in viciniâ plateæ affatim immadescerent. Cadaver etiam Stenonis sepulchro extractum, cum filio posthumo nuper nato, & tumulato, inter reliqua in foro comportata locat corpora, idque conspiciens tyrannus, rabie corripitur tantâ, ut morfu ipsum, canis more sepulchralis, appetiverit. Uxori deinde Stenonis advocatæ, dedit optionem eligendi, quò mallet genere mortis interire, an flammis vel aquis, aut viva terris obrui? Verum illa mox propemodum examinata, coramque Regis pedibus in formam crucis prostrata, propriis lacrymis, & astantium precibus, ac precio divitiarum proprio, mortem evasit, non carceres perpetuos, spondens filii Dantisco revocationem. Mater etiam Christinæ, illustri scæmina Sigridis, vidua Nicolai Ericii, atque Magni Caroli, Equitum prænobilium, propter gesta maritorum pro patria adversus Danos, & Trollium, quodque Regem inhumanæ arguisset tyrannidis, culeo insuta, in fluvium præcipitanda, intercessione hominum commisserantium quoque liberatur, suis tyranno promissis divitiis. Nihilominus cum filiabus Christinâ, & Ceciliâ, Gustavi Erichsonii matre, neptibus, atque nepotibus, Heroinisque plurimis, cæsorum Procerum conjugibus, in carceres retruditur.

Cum triduo autem corpora XCIV. hominum trunca in foro jacuisent, volutata & fœdata, horrendum in modum, suo cruore per mediastinos urbis, in planiciem indecenter evecta suburbii australis, in extracto concremantur rogo. In quo Stenonis cadaver jacuit medium inter corpora Episcoporum, capitibus spoliata, in propinquo morticinorum campo, majoris ergo ignominie, humatis. Lictores verò hujus funestæ pyræ administri, membra Stenonis post incendium studio quædam relicta, jussu Tyranni collegerunt, quæ per regnum ille quaquaversum dispersit, populo rebellionis formidinem incussurus, cui eandem propter causam, arma passim abstulit; illi præterea minatus unius pedis & manus abtruncationem, asserendo, cuique agricolarum, ad arandum non belligerandum nato, unicam sufficere manum, & alterum de ligno pedem. Nec tot innocentium hominum sanguine Stocholmiæ profuso, Christiernus satiatus, alios multos alibi mactavit, & XI. Novembris, ad suos in Finlandiâ Præfectos missis literis, quorundam illic Procerum cædem mandavit. Ideoque Hemingus Gaddius, licet optimè de Regis promotione foret meritus, cum X. aliis Sueciæ Heroibus, circa Natalem Salvatoris, sub Rasborgo capite truncatur. Vitam quoque his omnibus eripuisse non contentus Danus, illorum viduas, pupillos & orphanos, quibuslibet crudeliter spoliavit divitiis. Immo rapaces etiam manus aliorum immisit opibus,



quas vitæ suæ consulturi, Tyranno assignarunt, immensos ita thesauros ex Sueciâ cumulant, in Daniam protinus, cum argento ab incolis pro solutione militum affatim contributo, transmissos.

Hâc occupatum tyrannide Christiernum, Legatus Poloni accedens Stocholmiæ, cum illo, nomine sui Regis, de militaribus Duci Prussico missis exoptulat copiis, protestans de fœdere utrinque icto, perque Danum violato, & animum illius erga Polonum explorans. Itaque falsâ illum placat sui excusatione, atque ex mendacio postmodum detecto, subverens confusionem, post redeuntem aliquot celocibus expeditis, Legatum contra omnium jus gentium, & quidem fœderati Regis, insigni spoliatum supellectili, cum XXIII. comitibus, ausu nefario necavit. Sparso autem mox rumore, ipsum à piratis cæsum perhibente, & Oratore vicissim in Poloniam destinato, culpam à se utramque fraudulenter Tyrannus protelavit. Interea illius sicarii & emissarii, furiosè toto regno grassati, fautores ac servitores occisorum Procerum, ad necem conquirunt, quibus apud solum patuit Severinum Norby Gotlandiæ Dynastam, refugium; Quod ille amorem Christinæ in matrimonium postulatae, hoc speraret pacto se acquisiturum, & tantum Sueciæ favorem totius assecuturum, ut regni progressu temporis etiam Gubernator posset designari. Atqui huic posuit obstaculum machinationi, Prælustris juvenis Gustavus Erichsonius, qui morte patris, & agnatorum cognatorumque, sicut etiam matris captivatione, & sui ad necem indagazione, intellectis, horrendam Dani tyrannidem, Jacobo Archiepiscopo inprimis obrigescenti, Grips-holmiæ manifestavit. Qui à Dano nihil hujusmodi in Sueones expectans, quemadmodum nuper Gustavo, ut ipsum intrepidè, pactis & commendatione fretus, conveniret, ita nunc consilii meritò pœnitens, suasit forsitan ut fugâ tutiorem morandi quæreret securitatem. Hinc, vel potius aliorum suasu amicorum, exeunte Novembri, habitu indutus agresti, Gustavus Montanas Sueciæ regiones, incolasque festinus accessit, illos Tyranno objecturus, aut repulsam passus, indè Norvegiam Germaniamque aditurus. Sed Monticolarum ob perfidiam quorundam, ad fidam strenuamque Vallicolarum seu Dalecarlorum gentem profectus, Retvichensibus atque Morensibus, per ferias Natalis Dominici, tyrannidem Christierni commemorat, exaggeratque. Quos vehementi hortatus insuper oratione, ad ferendum afflictissimæ patriæ subsidium, se antesignanum ipsis præsentavit. Quibus tandem patriæ operam suam haud defuturam respondentibus, modò reliquos Dalecarlorum ad eandem pertrahere posset militiam, cum benevolo horum responso, sub anni finem ad occiduos Vallium inhabitatores lætior secessit.

Verùm Christiernus harum ignarus molitionum, præcipuis Regni Optimatibus jam sublatis, Sueciam suæ, successorumque nunquam servituti amplius subducendam sibi persuadet, & paulisper Daniam revisurus, Sueciæ munitiones, Regni que totius gubernationem, Danis adversus pacta commisit. Joanni Beldenachio Stregnensem, & Theodorico Slaghecio Scarensem contulit infulas. Quando hic, mandato Regis abeuntis, binos Franciscanorum Stocholmensium in aquis dicitur suffocasse. Tyrannus etiam in omnibus quas pertransiit urbibus, patibula surrigit, vitamque aliquibus civium eripit. Verùm Sudercopiæ, ipsum omnis lanienæ suaforem, & furcarum ubique fabricatorem, Claudium Holfatum, ac Scribam hujus, in crucem ab illis erectum, meritò egerat. Lincopiæ verò per Natalem Salvatoris commorans, alterum Claudii servitorem mactaverat. Vasteni deindè festo Epiphaniæ, nullâ tanti diei reverentiâ impeditus, Sve-



Svenonem Hœk , & Petrum fabrum , dissectos membratim , corvis exposuit laniandos. Atque hinc divulgatis literis , Lincopiam citavit Sveonum Nomophylaces , cum aliquot à se deputatis , leges Regni corrupturos potius quam correcturos. Post abiit Jenecopiam , ubi solennem conversionis Paulinæ diem , cæde aliquot Ribbingorum funestavit , quos inter unus novennis , & alter sexennis , cæsarie per lictores apprehensâ , inhumaniter decollantur. Demum profectus ad Nydalensæ Tyrannus cœnobium , sacro Purificationis virginæ facto , Abbatem cum XI. Monachis , quod Danis bello priori nonnihil essent adversati , nec ille , ac sui commessatores , à pauperibus cœnobitis pro gulæ inexplebilis desiderio essent tractati , in profluente demersos , truculenter peremit. Cædeque ac prædâ , in qua simul fuerant insignia Sveonum regalia , opimus postremò Daniam ingreditur , Phalaris iste Scondianorum , postquam in Sveoniâ passim DC. hominum innocentium , adversus pacta , figilla & literas , juraque Divina & humana , impijssimè juxta ac crudelissimè , trucidasset. Tanti nodus ille Sueonibus constitit  
Margaretæ infaustus!

*DEo gloria Optimo Maximoque eterna.*





D. O. M.

**XCIV. SUEONUM**, mandato **CHRISTIERNI REGIS** iniquissimo, Stocholmiæ anno MDXX. die VIII. & IX. Novembr. partim gladio, partim laqueo publice necatorum, & hoc suburbii spacio australis, (quod propterea pientissimus **REX JOHANNES III.** deinceps ornavit sacello,) X. Novembris *concrematorum*, inque auras dissipatorum.

Illorum verò potissimi fuerant, prælustris dominus **STENO STURE JUNIOR**, *Prorex Sueciæ*, qui à Danis in conflictu sauciatus lethaliter Bogesundenli XX. Jan. & hinc mortuus IX. Eebruarii, sepultusque in templo Stocholmiæ insulano, ac jussu *Tyranni*, IX. Novembris, fuit exhumatus, cum **FILIO** infante.

Sicut etiam Reverendissimi domini, **MATHIAS Strengnensis**, & **VINCEN- TIUS Scarenfis**, Ecclesiarum *Antistites*, quorum capita solum in campo morticinorum fuerant humata.

Nec non *Proceres* Sueciæ nobilissimi, **ERICUS ABRAHAMIUS à Loholmen**, **ERICUS JAHANSONIUS à Ridbobolm**, inclytus Gustavi Regis genitor, **ERICUS NICOLAIUS**, *Equites*; **ERICUS KNUTSONIUS**, **ESCHILLUS NICOLAIUS**, **ERICUS RYNING**, & **MAGNUS GREN**, *Regni Senatores*.

His non minus generosi accesserant *Heroës*, **JOACHIMUS BRAHE**, **BENEDICTUS GYLTA**, **ERICUS KUSE**, **BUNDO**, & **TOSTO, BRODERSONII**, **OLAUS WALRAN**, **BENEDICTUS ERICIUS**, **GUNNARUS GALLE**, **OLAUS BERONIUS**, **ANDREAS ERICIUS**, ac **ERLANDUS ESBERNIUS**.

Similiter spectabilis *Stocholmiæ Senatus*, **JOANNES GUNMUNDSONIUS**, **ANDREAS OLAVIUS**, **ANDREAS HENRICIUS**, *Consules*; **OLAUS JOHANNIUS**, **MAGNUS BUDDE**, **BERO BAGGANS**, **ANDREAS RUTH**, **ANDREAS CARLSONIUS**, **MICHAEL NICOLAIUS**, **CANITUS OELANDUS**, **ERICUS HELSINGUS**, **PETRUS ERICIUS**, **ASMUNDUS**, **MATHIAS KRONA**, **JACOBUS PETRIUS**, **NICOLAUS BENEDICTIUS**, & **HEMINGUS GRÖNSKALLE**, *Consultores*; cum totidem *plebecule Tribunis*.

Appositum Anno MDCXXV. in patenti, præsentis ac eleganti Tabella, Quam Serenissimus & Potentissimus Sueciæ **REX GUSTAVIUS II.** proavitos exornare cineres, & ab interitu, seu potius oblivione quavis, ità eos vindicare cupiens, affabre curavit præparari.

Verum à *Johanne Messenio*, tam de mortuis quam vivis, hujusmodi fortibus patriæ viris, ceu memoriâ dignis immortalis, scriptis apud posteros benè mereri gnaviter satagente, prosâ & numerosâ, compositum.

<p><b>C</b>ontegit hæc ades, spectator, nobile Bustum.          Plus lege, subsistens, noscere plura juvat.          Scondicus ille Nero, Christernus, subdere Suecos          Discordes meditans, milite complet agros.          Sternitur occurrens Steno Polemarcha Sueorū;          Hostibus Upsalius Præsul adheret ovans;          Offensus, genitor quod non Proregis honore          Ornatus, patria turpiter arma mouet;          Poscit opem Dani; sceptrum promittit eidem;          Ex Stecbio pugnat seditiosa cohors.          Propterea captum, merito consumitur igne;          Munere privatus, rura furit ille magis.          Fulminat &amp; Latius, malè litis pondera noscens,          In Suecos Flamen; solvere damna jubet.          Hujus &amp; ut soliti Majores, Danus abutens          Fulgure, vindictæ vendicat arma sibi.          Pugnat utroque simul gladio, Stocholmica testæ          Nec tamen expugnans, sic crocodylus atrox;          Pacis amatorem simulat; veteresque, novasq;          Condonat rixas; patris adinstar agit;          Hoc juramenti stabili, magnisque sigillis;          Et sumpto Christi corpore firmat idem.          Sic regni sceptrum nactus, securior illud          Ut teneat, Proceres destinat arte neci.</p>	<p>Ceu lupus armento sævus nocumenta daturus,          Pastorem primò maculat, &amp; inde canes.          Pontificis precibus se finxerat, atque querelis          Upsalii huc motum præsulis, esse nimis;          Scilicet ut plectat Sueones, anathemate victos,          Nec dum Romano morigerosque patri.          Sulphureo castrum conspergit pulvere passim;          Gens Sueonum, clamans, insidiata mihi!          Inscius ast fraudis procerum confluxerat ordo,          Mox captus, soluit quisq; cruore dapes!          Nam Dominos gladius, laqueus necat inde Ministrōsi          Multaque per vicos sanguinis unda fluit;          Quilibet absq; Sacris moritur, mandante Tyranno,          Quorum diripuit mox, ut avarus, opes.          Idem correptus rabie, subputre cadaver          Stenonis, tetro, ceu canis, ore petit;          Quod simul extractum, pice mixto absumitur igne          Cum reliquis; totus non tamen ille flagrat;          Aut alii procerum, cum Danus membra subusta          Sparserit; hinc Suecis incutiendo metum.          Sat, reor, hoc nosti bustum, cineresque Viator,          Execrans Danum, compatiare Sueis;          Et superis animas commenda; manibus ultra          Nec gravis adstas, vade silendo foras.</p>
--	---

\* \* \* \* \*